
JCB


T8c
GAUDEO.
John Carter Brown.





wants the map

H.S. Ap[ri]l 22. 1865. which does not properly belong here.

This 10th part of marked 2nd Vol.
by the Binder
Is it not the 1st Early Vol:?

Variant vignette

AMERICÆ

PARS DECIMA:

Qua continentur,

I. Duæ Navigationes Dn. AMERICI VESPUTII, ſub auſpiciis Caſtellani Regis, FERDINANDI ſuſceptæ.

II. Solida narratio de moderno provinciæ Virginiæ ſtatu, qua ratione tandem pax cum Indianis coaluerit, ac caſtella aliquot ad regionis præſidium ab Anglis extructa fuerint: additâ hiſtoriâ lectu jucundiſſimâ, quomodo POKAHUNTAS, Regis Virginiæ POWHATANI filia, primori cuidam Anglo nupſerit; Authore RAPHE HAMOR Virginiæ Secretario.

III. Vera deſcriptio Novæ Angliæ, quæ Americæ pars ad Septentrionalem Indiam ſpectat, à Capitaneo JOHANNE SCHMIDT, Equite atque Admirali delineata: cui acceſſit diſcurſus, quomodo in ſecunda navigatione à Gallis captus, Anno 1616. demum liberatus fuerit.

Omnia nunc primùm in lucem edita, atque eleganter in æs inciſis iconibus illuſtrata,


Sumptibus ac ſtudio
JOHANN-THEODORI de BRY.



OPPENHEIMII
Typis HIERONYMI GALLERI.

ANNO


M DC XIX.



Dn. AMERICI VESPUTII

Prima in PARIAM navigatio, quam postea de suo nomine AMERICAM nuncupavit:

Anno Christi M CCCC XCVII.



ANNO Christi 1497. Castellæ rex Ferdinandus quatuor triremes adornari, ac milite, commeatu, tormentis bellicis aliisq; rebus necessariis probè instrui jussit, quibuscum Nobilissimum ac celeberrimum Americum Vesputium patriâ Florentinum, ut novas regiones investigaret, ac commercia cum earum incolis contraheret, ablegavit.

Vesputii prima in Indiam navigatio Ann. 1497.

Is cum suis 20. Maji die ex portu Caliciæ solvens paucis diebus ad Fortunatas seu Canarias insulas 280. milliaribus ab Ulissipone dissitas, appulit. Cumq; de ligno, recenti aqua, aliisq; necessariis sibi prospexissent, octiduo post, invocato Dei nomine, Austro usi propitio inde discesserunt, donec 27. die ad continentem terram, 1000. milliaribus, sub 16. lineæ Æquinoctialis gradu Septentrionem versus à Canariis insulis dissitam pertingerent, ac sesquimilliaris intervallo à littore anchoras excuterẽt. Hic quidam in terrã expositi, magnam hominum in littore oberrantium multitudinem offendére; unde non parum gaudii animos illorum subiit: Nudi incedebant omnes, ac vehementer animo perculsi videbantur, quippe qui nunquam antea homines vestibus amictos, albíve coloris conspexissent. Quamprimum autem Barbari isti Hispanos conspicati sunt, fugam ad montem quendam capessiverunt: nec ullis nutibus, aut pacis benevolentiæve signis permoveri potuerunt, ut ex monte isto descẽderent, aut colloquium nostrorum expectarent. Cum verò interea nox ingrueret, nec tutò naves ad littus propellere auderent, placuit, ut postera luce commodiorem stationem inquirerent, in quam tutiùs naves possent subducere. Itaque sublatis anchoris cùm terram præterveherentur, continuò barbaros in conspectu habuerunt, donec post biduum, portum nacti commodissimum, dimidio à terra milliari, anchoras figerent: ubi simul ingens barbarorum sese obtulit numerus, qui colloquium Hispanorum exposcere videbantur. Verùm, cum Hispanorum quadraginta, acie probè instructa, in terram exscẽderent, barbari ad suos mores reversi, atq; amicitiam commerciaq; Hispanorum aversati, nulla ratione ad colloquiũ pertrahi potuerunt: Tandem tamen pauci aliquot allecti sunt, quos speculis, nolis, coralliis, aliisq; vilibus merculis placatos ab agresti vita ad humaniorem revocarunt. Sed nox interveniens, cùm ad navem Hispanis redeundum esset, colloquium istud diremit. Manè facto, innumerabilis hominum tam virorum, quàm mulierum multitudo, qui liberos omnemq; supelle-

Canariæ.

Barbari hominum conspectum fugiunt.

Donis ad colloquium alliciuntur.

ctilem suam secum abducebant, in littore comparuit: horum complures, cùm Hispani terræ succederent, in mare desilientes, ad tormenti minoris jactum illis obviam natarunt: Ubi verò amicè illos excepissent, postea tam confidenter ac securè cum Hispanis versati sunt, ac si diu cum illis vixissent, atque illorum consuetudine usi fuissent: unde non parum Hispani gavisi sunt.

Americanorum forma ac mores. Nos autem, quia occasio id videtur flagitare, formam moresq; illorum hic paulo luculentiùs perstringemus. Homines hi, cùm viri, tum fœminæ nudi incedunt: statura illis mediocris, commoda corporis proportio, color subrufus, Leonum jubis non absimilis, nullos toto corpore alunt crines, excepto capite, cujus pili, præsertim in mulieribus, atri ac prolixi sunt: aliàs nusquam pilos conspexeris, imò supercilia radunt, ne quid cum pecudibus commune ipsis esse videatur. Non usque adeò decóra illis facies, cùm latior sit, atque ad Tartarorum vultum proximè accedat. Incessu, cursu, natatu cùm viri tum fœminæ nulli cedunt, imò cùm fœminæ absque ulla respiratione duo millia currendo seu natando possint conficere, Christianos hac in parte longè superant. Arma illorum sunt arcus & sagittæ, quarum cuspides, quia ferro carent, ferarum pisciúmve dentibus acutissimis revestiunt: utuntur etiam jaculis, atq; antrorsum acuminatis clavis: dexterrimè autem, etiam quibusdam in locis fœminæ jaculantur, ut quicquid animo destinarint, telo possint configere. Bella cum finitimis nationibus gerunt atrocissima, nec ulla erga captivos tanguntur misericordia, quos ad exquisitissimos cruciatus macellumq; adeò ipsum diligenti custodiâ attinent. *Fœmina viris robustiores.* Fœminæ ad 30. aut 40. milliaria viros in militiam abeuntes subsequuntur, non quidem ut præliis sese immisceant, sed ut sarcinas gerant, quippe cùm majus onus humeris possint sustinere, quàm vir fortissimus humo tollere. Duces aut Capitaneos nullos inter se constituunt, sed ordine indiscreto, cum quisque supremus rerum suarum sit dominus, in aciem progrediuntur. *Bellorum causa.* Non regnandi, terras suas latius prorogandi, aut alia quadam prava libidine ad bellum incenduntur. Sed potiùs nativo atque insito quodam odio, ut amicorum ac majorum, ab hostibus olim occisorum, necem vindicent. Populus hic summa fruitur libertate, cum nulli subjectus, neq; Dominum, neq; Regem agnoscat ullum. Tum verò demum bella moliuntur, atq; acerrimè in hostem se parant, ubi quempiam ex suis captivum detineri, aut ab hostibus occisum cognoverint: Nam cæsi proximus aut maximus natu agnatus continuo per vicos pagosq; discurrens magno clamore classicum canit, atque ut alacriter in hostem eant, amiciq; necem vindicent, hortatur: qui commiseratione erga defunctum compulsi, facilè permoventur, ut arma adversum hostem capiant, atq; illorum regionem hostiliter invadant. Nullus juri, neque justitiæ apud ipsos locus. Ne sontes quidem suppliciis afficiuntur, imò ne parentes quidem suos liberos ad meliorem frugem hortantur, aut verbis corripiunt. In sermone simplices alioquin subdoli ac versuti satis. Raró loquuntur, ac verba inter labia ac dentes formata, vix semesa proferunt. Ad centum milliaria, nova semper occurrit lingua. In victu admodum sunt Barbari, cibum non certo tempore, sed tam noctu, quàm interdiu, quandocunq; eos seu fames, seu libido impulerit, capientes. Sumpturi cibum, humi procumbunt, mantili aliaq; mensariâ suppellectile planè destituti. Cibos in vasis fictilibus, quæ suâ industriâ norunt conficere, aut in Cucurbitarum corticibus apponunt. Xylinis retibus sub dio indormiunt, quem illorum morem Vesputius imitatus, minimè improbavit: munditiem corporis crebris lotionibus diligẽter conservant. Alvum semotis arbitris exonerant, urinam autẽ passim inspectantibus omnibus, absq; ullo pudore cùm viri tum fœminæ reddunt. *Matrimonium.* In matrimonio nullis statutis,

tis,neq; legibus tenentur, viris tot uxores ducere licitum, quot libitum, quas liberè etiam dimittunt,nec mulieres ullam inde infamiæ labem verentur. Eadem hic mulieribus quæ viris licentia. A Zelotypia prorsus sunt alieni,interim admodum libidinosi, in primis fœminæ,quæ ob inexplebilem lasciviam varias excogitant artes, quas silentio premere,quam promere consultius duco. Admodum sunt fœcundæ, nec labores fugiunt etiamsi uterum gerant,partum exiguo cum dolore facillimè in lucem proferunt, ut postridie alacres integræq; in publicum prodeant. Statim à partu in fluvio quodam lavant, in quo instar piscium,sanitati restitutæ emergunt. Crudelitati, atque vindictæ cupiditati usque adeò indulgent,ut à viris ad iram extimulatæ præ iracundia à proprio fœtu manum haud abstineant,sed illum magicis pharmacis extinctum abortiant. Illud verò mirum maximè,quod à partu æquè perfectæ,ut antea,appareant, ac si nunquam peperissent;unde difficulter quis virgines à mulieribus discreverit. In amorem Hispanorum non parùm erant proclives. Cæterum absque legibus,ac religione ulla vitam Epicureorum more agunt. Sedibus promiscuis habitant,quæ campanarum in modum,ex ingentibus arboribus structæ assurgunt,ac palmarum frondibus contra tempestatum injurias conteguntur. Hæ quibusdam in locis usque adeò amplæ sunt,ut in una 600. sæpè homines reperiantur:imo Vesputius in octo ejusmodi domibus ad decem hominum millia congregata reperit. Post octennium sanitatis tuendæ ac liberioris auræ fruendæ gratiâ domicilia hæc mutare,atque aliò transferre solent. Aërem enim diuturna hominum consuetudine infici,ac complures inde morbos causari,non absurdè autumant. Divitias suas maximè habent sitas in plumis versicoloribus, rotundis lapillis, ac coralliorum sphærulis,quas ex piscium officulis confectas,viridibus ac candidis lapillis distinguunt, ac postea ornatus gratiâ,labiis,auriculis,brachiis, pedibusq; appendunt. Nulla habent commercia,contenti iis,quæ natura ac tellus sua sponte profert. Aurum,uniones,aliasq; res magni Europæis æstimatas,hi nihili faciunt. In dando admodum sunt liberales, ut nemo facilè apud eos repulsam patiatur: sicut è contra in exigendo atque accipiendo admodum sunt cupidi ac studiosi, ubi quis familiaritatem cum iis contraxerit. Summam alicui benevolentiam exhibere se putant, si cùm uxores,tum filias, amicorum usui prostituant:imò parens summo hoc honori sibi ducit,si quis filiam suam, licet integræ adhuc sit virginitatis,ad concubitum exposcat, eamq; abducat, hac enim ratione amicitia maximè inter ipsos coalescit, atque confirmatur. Mortuos suos sub cespite condunt, eorumq; capitibus alimenta apponunt,existimantes, illos post mortem nihilominus cibum capere,ac necessariâ alimoniâ indigere. Querellas autem aut ritus, mortuorum causa,nullos adhibent. Quibusdam in locis inhumaniùs cum mortuis agitur. Ubi enim aliquem morti jam vicinum conspiciunt,eum proximè agnati in densam aliquam sylvam deportantes reti xylino,duabus arboribus affixo imponunt, ac totum diem choreis circa ægrotum ducendis transigunt: cùm advesperascit, aquam cibosq; ad quatuor dierum alimoniam necessarios ad caput ægroti collocant, sicq; illo solitario relicto domum redeunt. Quod si ægrotus vires recolligat, ac cibo potuq; recreatus incolumis ad suos revertatur, magnis solemnitatibus ab amicis ac cognatis excipitur. Paucissimis verò hic obtingit honos, cùm à nemine unquam postea invisantur. Quod si verò morbo extinguatur, de sepultura ejus minimè sunt solliciti. Multis variisq; utuntur remediis,quæ cùm nostris neutiquam respōdeant, haud immerito quis miretur,qua ratione iis pristinæ vires recuperari possint. Nam ut unum atq; alterum exemplum afferā: Si quis in ardentissimā incidat febrē, eaq; quā vehementissimè

Mulieres invidæ atq; iracundæ.

Sedium mutatio.

Illorum divitiæ.

Summa illorum benevolentia.

Sepultura.

Morborum curandorum ratio.

infestetur, hunc in frigidissimum demergunt amnem, atque aquâ abluunt; postea duas circiter horas ad excitatum ignem hinc inde cursitare cogunt: tandem cubitum deducunt. Atque hac quidem ratione complures pristinæ sanitati sunt restituti. Quidam etiam triduano, aut quatriduano jejunio, hosce aliosq; morbos feliciter à se depellunt. Venam non in brachio, sed lumbis nervisq; incidendam curant. Certis quoque remediis vomitum sistunt, aliaq; id generis, quæ omnia hoc loco recensere, nimis prolixum foret. Ob victus rationem sanguine atque humoribus phlegmaticis abundant. Vivunt enim ex radicibus, fructibus, herbis omnisq; generis piscibus, frumento aut tritico planè destituti. Panis defectum radix cujusdam arboris supplet, ex qua farinam conficiunt, quam alii *Jucha*, alii *Chambi*, quidam etiam *Igname* appellant. Raro alia, quàm humana vescuntur carne, cujus ultra beluinum etiam morem sunt avidi. Hostes enim omnes sive viros, sive fœminas, in prælio cæsos, aut ad tempus in vinculis saginatos, indiscriminatim vorant, idq; tanta immanitate, ut horrendius nihil Sol ipse viderit. Mirantur autem Christianorum erga hostes clementiam, quod esu eorum sese abstineant. Atque hujus quidem generis immanes mores ritúsque complures apud illos reperiuntur, qui commodiùs suo deinceps loco exponentur.

Eorum panis. Sunt Anthropophagi.

Nunc ad Hispanorum atque Vesputii, à qua paululum digressi sumus, navigationem revertamur. Perlustrata igitur hac regione, ac summa ejus fertilitate perspecta, cùm auri etiam aliquid reperissent, ulterius ire visum est. Itaque terram longius legentes, identidem commercia sua cum Incolis instituebant, qui magnis copiis passim in littore confluebant. Tandem post aliquot dies portum quendam offenderunt, ubi divina ope ex præsentissimo vitæ periculo liberati sunt. Navi enim propius littus appulsâ, cùm in terram descenderent, vicum quendam instar Venetiarum, mediis in aquis, palis ligneis superstructum conspicati sunt: in eóque viginti domicilia, campanarum in modum fabricata: ex quibus sublicii pontes deducebantur, ut alter alterum commodiùs adire posset. Quamprimum Barbari isti Hispanos adesse animadverterunt, stupore perculsi, confestim sublicas sustulerunt; quod Hispanos etiam in admirationem rapuit. Mox duodecim cymbas ex integro ligno factas in alto mari sibi obviam ferri conspexerunt: quas Hispani omnis generis blanditiis ad se pellicere conabantur, inq; eum finem illis quoq; obviam pergebant: Verùm Barbari adventum eorum neutiquam præstolantes, sed ad terram delati, summa celeritate in montem quendam enitebantur: signis interim brevi se redituros, innuentes. Reversi sedecim virgines secum adducebant, ac quatuor ex iis in Hispanicam cymbam exponebant. Quidnam sub isto prætextu monstri alerent, non sine causa Hispani mirabantur. Interea scaphis suis inter Hispanos sese immiscebant, ac summos sese illorũ amicos esse simulabãt. Magno etiam agmine ex domibus ad scaphas adnatabant, unde nec dum quicquam mali Hispani cogitare poterant. Præterea vetulas quasdam præ foribus cursitantes conspiciebãt, quæ altum clamorem tollentes in majoris discriminis ac periculi indicium, capillos sibi ipsis evellebãt. Hinc primum magnum sibi malum imminere Hispani suspicati sunt. Nec mora, virgines ex scaphis in mare prosiliunt, reliqui longius à navibus Hispanorum secedentes, densum telorum imbrem in ipsos evomunt. Animadvertebant etiam Hispani, reliquos, qui ex domibus ad naves nando pertigerant, sub aquis jacula sua abscondisse, unde proditionem subesse facile erat colligere. Itaque Hispani arma capiunt, quàm plurimas eorum scaphas funditus evertunt, viginti cæsis, pluribus autem vulneratis. Reliqui in mare præcipites acti, non sine ingenti jactura ac damno natando in littus evaserunt. Quinque ex Hispanis vulnerati,

Vicus quidam instar Venetiarum in aquis conditus.

Americanorum fraudes.

Conflictus cum Hispanis.

nerati, Chirurgi industriâ feliciter curati sunt. Duas quoque ex dictis virginibus, & tres viros interceperunt, quibuscum ad mansiones barbarorum pergentes, cùm præter duas vetulas atque ægrum quendam virum reperirent neminem, ab incendio manum abstinuerunt, quanquam id facere initio decrevissent. Itaque cum quinque captivis ad navem reversi, viros in compedes compegerunt, verùm custodum negligentiâ duæ virgines, atque ex viris unus noctu profugerunt. *Hispani quinq; barbaros capiunt.*

His ita gestis, ut locum istum relinquerent communi consilio decretum est. Itaq; ex portu solventes, montanam regionem versus, proram direxerunt: Provecti 80. circiter milliaria in aliam quandam nationem inciderunt, cujus lingua ac mores plurimùm à priori discrepabant. Cumq; appulissent: quatuor circiter hominum millia inibi offenderunt, qui non expectato Hispanorum adventu, omnibus relictis in densissimas sylvas sese abdiderunt. Hos insecuti Hispani ad bombardæ jactum complures casas conspexerunt, quas piscatui operam dantes, ac varii generis feras, piscesq; elixantes atque torrentes ibidem construxerant. Inter alia serpens alatus craticulæ ligneæ erat impositus, quod in maximum stuporem Hispanos convertit. Paulò longius progressi, in reliquis tuguriis complures ejusmodi serpentum vivos offenderunt, quorum pedes vinculis alligati, fauces funibus constrictæ erát, nequid hominibus damni inferre possent, quemadmodum ursis, canibus, equis, aliisq; feris capistra injicere solemus. Usque adeò immane tuebantur, ut abs contactu illorum prorsus abstinerent. Panem ex piscibus præparant, quos coquunt primum, postea contundunt, demum supra carbones torrent. Panis iste boni nutrimenti, nec ingrati saporis est. Reliquos cibos, fructus ac radices suppeditant, quos omnes recensere, superfluum videtur. Cùm igitur ista die nemo ex incolis in conspectum Hispanorum prodiret, ac præterea nullum operę precium efficere possent, relictis in eorum casis aliquot mercibus, ut animum adderent incolis, eosq; ad colloquium allicerent, sub noctem ad naves reversi sunt. Postridie, quam primum aurora illucesceret, magna Barbarorum multitudo in littore cogebatur, ad quos exscensione in terram facta sese conferebant. Barbari primo intuitu trepidare, paulatim tamen sese Hispanorum turbæ immiscere, ac familiariter secureq; cum illis versari cœperunt, signis quibusdam innuentes, non istas sibi esse fixas sedes, sed piscandi gratiâ eò se venisse. Rogabant itaq;, ad patrias mansiones secum irent, omnia humanitatis officia pro virili ipsis offerentes. Id verò eam ob causam potissimum faciebant, quod, qui duo ab Hispanis captivi detinerentur, hostes illorum essent infensissimi. Cùm itaque urgerent importuniùs, tres & viginti probè armati unà cum illis ibant, parati, siquidem necessitas ita exigeret, vitam fortunasq; profundere. Triduo post pagum quendam, ex novem domibus conditum, ingressi, mirabili ritu, saltibus, tripudiis, risibus partim, partim lachrymis, atque ex omnis generis cibis variè instructis ferculis excipiebantur. Pernoctantibus ibi satis liberaliter uxores suas obtulére, idq; tanta importunitate, ut vix denegare hoc officii genus ipsis possent Hispani. Postridie ex aliis locis adhuc major Barbarorum copia congregabatur, quorum seniores obnixè rogabant Hispanos, ulterius secum progredi, ac suas quoque mansiones invisere ne gravarentur. Quibus cum Hispani morem gererent, dici non potest, quanto in honore apud illos habiti sint. Cùm autem novem jam dies inter illos transegissent, rati suos de ipsorum salute anxios atque sollicitos esse, octodecim milliarium iter relegendum censuerunt, stipati innumera hominum, cùm virorum, tum fœminarum multitudine, qui ad mare ipsos comitati, omnia servitia ipsis pręstiterunt. Quam primum enim ex Hispanis aliquem de via lassum animadvertebant, hunc

Miri serpentes.

Panis ex piscibus confectus.

Hispani cum Americanis ad mansiones ipsorum proficiscuntur.

Probè excipiuntur.

Americani admodum officiosi.

hunc lecto xylino impositum, summâ curâ atq; diligentiâ portabant. Quidam beatos sese æstimabant, si Hispanos humeris suis exceptos, per fluviorum vada, quæ multa illic reperiuntur, transferre ipsis concederetur. Alii sarcinas ac munera, quæ Hispanis ex fructibus, arcubus, sagittis, varii coloris psittacis, aliisq; rebus oblata fuerant, summo studio gestabant. Quidam omnem suam supellectilem, ac pecudum greges secum ducebant. Ubi ad mare perventum, nondum ab Hispanorum consortio divelli potuerunt, sed tanto numero atque agmine in scaphas insilierunt, ut submersionis periculum esset. Reliqui ad majorem navem natando strenuè contendebant, ut eorum mille circiter, quanquam inermes ac nudi, eam conscenderent, ac summa cum admiratione apparatum nauticum, tormenta, aliasq; res contemplarentur. Ut ergo ab illis sese expedirent Hispani, aliquot tormenta majora exonerarunt. Quorum audito fragore, immaniq; crepitu, Barbari maximam partem in mare se præcipites egerunt, ac ranarum instar sub aquis latitantes, & natantes ad littus sese proripuerunt: quod ridiculum erat spectaculum. Mox timidos pavidosq; Indianos ad mentem meliorem revocarunt, dum ejusmodi armis hostes suos se persequi dicerent: atq; isto quidem die in nave illos retinerēt. Postridie verò cibo potuq; refectos summa cum benevolentia à se dimiserunt. Moribus, legibusq; sunt prioribus ferè similes, de quibus prolixiùs agere, non est instituti nostri. Regio est populosa admodum, omnis generis feris abundans, quæ exceptis leonibus, ursis: cervis, apris, capreis, nostris minimè comparari possunt. Equos, asinos, canes, vaccas, oves, nusquam ibi reperias, interim alia nobis incognita habent animantia, quibus ad servitia præstanda utuntur. Cæterum locus est amænus, fertilis, ingentibus sylvis conspicuus, in quibus arbores ut semper virent, sic earum folia nunquam decidunt: Non procul à Zona torrida, ac Cancri tropico, sub 23. elevationis gradu ab Æquinoctiali linea dissitus.

Hispani Barbaros ad Christianismum convertunt. Barbari Hispanorum formam contemplantes, mirari satis non poterant, præsertim corporis albedinem intuentes, unde originem ducerent, interrogabant: quibus illi, cœlo se ad barbaras istas nationes visendas delapsos esse, respondebant. His Barbari non modò fidem habentes, sed magno numero Baptismi sacra suscipientes, Hispanos suâ linguâ *Charabi*, id est, prudentissimos appellabant. Regioni nomen est, *Parias*. *Parias.*

Postmodo istum quoque portum deserentes, ad 1360. milliaria juxta montanam regionem progressi sunt, ut semper terram in conspectu retinerent, atque interim cum Incolis negocia ac commercia contrahentes, plerisque in locis, aurum non usque adeò copiosum tamen, lucrarentur. *Hispani ad reditum se parant.* Quia autem decimum tertium jam mensem navigationi isti impenderant, naves vitium facere, annona absumi, vires continuis laboribus debilitari cœperant: decretum est, naves restaurarent, ac viam in Hispaniam remetirentur. Dum hæc agerent, in optimum & commodissimum, qui quidem toto orbe, reperiri possit, portum delati, ab innumerabili Barbarorum multitudine quàm amicissimè excipiuntur. Itaque hîc naves reficere, novas scaphas ac vasa extruere, tormenta igni corrupta, redintegrare cæperunt, Indianis sua sponte operam suam conjungentibus, ac de cibo liberaliter Hispanis prospicientibus. Quod certè commodum Hispanis accidit: absque eo enim fuisset nunquam in patriam redire potuissent. Posteaquam ergo 42. dies hoc in loco substitissent, atque omnem Incolarum benevolentiam, reverentiam, ac *Americani opem Hispanorum contra hostes implorant.* promptissima obsequia experti essent, Indiani cum Hispanis jam familiarius versantes, seriò ac magna cum animi commotione illis calamitates atq; angustias, in quibus hærerent, imo pectore expromere cœperunt: Barbaram nimirum esse nationem, centum mil-

milliaribus inde diſſitam, quæ quotannis ſuis incurſibus regiones ipſorum infeſtet, ac proditione vel vi captos trucidet, tandem immaniter voret. Ab horum tyrannide, Hiſpanorum ope ſeſe liberari, unicè exoptabant. Quamvis autem Hiſpanis in patriam inde vela convertere omnino certum eſſet, nihilominus commiſeratione impulſi, auxilium ipſis contra tam immanem hoſtem denegare noluerunt, ſed acriter illatas injurias ſeſe vindicaturos promiſerunt. Hinc in lætitiam effuſi Incolæ, unà in prœlium ſeſe ituros affirmabant: Verùm Hiſpani, id minimè conſultum rati, ſeptem tantummodò ex iis delegerunt, qui pugnæ ſpectatores, nuncium de vindicatis injuriis domum referrent.

In quam ſententiam gratis animis conſenſerunt incolæ. Itaque refectis jam atque inſtauratis navibus, ex portu illo ſolvunt, multas prætervecti inſulas, quæ incolis habitatæ partim, partim deſertæ erant. Septimo die poſt, cùm ad *Itij* inſulam appellere, ac ſcapham verſus littus protrudere conarētur: ecce 400. Barbari probè armati, tam viri quàm fœminæ, acceſſu omni ope illos prohibere voluerunt. Nudi quidem erant, ſed corporis robore pollentes, arcubus, ſagittis, telis, ac quadrangularibus ſcutis inſtructi. Hi ſummo impetu in Hiſpanos debacchabantur, cum ad teli jactum littori jam appropinquaſſent. Corpus variis coloribus pictum, atque omnis generis plumis exornatum erat, quo, Barbarorum indicio, in bellum contra hoſtem ſe profecturos, denotabant. Cùm itaque Hiſpanis deſcenſum in terram pertinaciter denegarent, tormenta majora ſaxis onerata inter illos diſploſerunt. Quo horrendo imbre ac tonitru exterriti, cum magnam ſuorum ſtragem cernerent, reliqui in terram enitentes fugâ ſalutem quæſiverunt.

Hiſpani portu Itij prohibentur.

Expoſiti in terram 42. probè armati Hiſpani, ingentem horum Barbarorum turbam offenderũt: qui alacriter Hiſpanis obnitentes, duas circiter horas illorum impetum fortiter ſubtinuére: cùm autem complures ex ſuis globis trajectos, gladiis transfoſſos intuerentur, atq; Hiſpani ſumma animi contentione ipſis incumberent, tandem ſolum vertere, atq; in denſiſſimas ſylvas ſeſe abdere coacti ſunt. Hiſpani, ex quorum numero etiam non pauci vulnerati erant, cum ſeptem Indianis, quos ſecum adduxerant, ſummo cum tripudio ad navem rediére. Poſtridie melius jam inſtructa acie, cornua ſua inflantes redeunt Barbari, cladem pridie ab Hiſpanis acceptam, acriter ulturi. Itaq; re inter Hiſpanos deliberata conſtitutum: Siquidem Barbari ad benevolentiam, mentemq; humaniorem revocari haud poſſent, armis decernēdum, hoſtiliter contra illos eundum, captosq; bello precio vendendos eſſe Itaq; 57. Hiſpani probè armati, nec quicquam impedientibus Barbaris, à tormentis ſibi metuentibus, in terram egrediuntur, atq; ſic utrinq; ſumma alacritate redintegratur prælium; quod licet aliquandiu dubio marte protraheretur, victoria tamen penes Hiſpanos fuit, qui ex barbaris compluribus cæſis, 25. captis, ad naves ſeſe receperunt. Cæſus ex Hiſpanis unus, 22. vulnerati, qui tamen omnes priſtinę ſanitati reſtituti ſunt.

Itianorum cum Hiſpanis pugna.

Hiſpanorum victoria.

His ita geſtis, cùm omninò in patriam redire conſtituiſſent, ſeptem Indianos, quorum quinque in prælio quoq; vulnerati erant, ſeptem captivis Barbaris, tribus nempe viris, quatuor fœminis donatos, ſumma cum benevolentia dimiſerunt: ipſi verò Hiſpaniam verſus vela verterunt. In cujus portu Calicio, 15. demum Octobris, Anni 1498. cum 222. captivis appellentes, ſingulari cum lætitia ab omnibus excepti ſunt, ibidemq; captivos ſuos hincinde divendiderunt. Atque hæc quidem maximè memorabilia ſunt, quæ in prima Veſputii navigatione contigerunt.

Dn. AMERICI VESPUTII

Secunda in AMERICAM navigatio.

Anno Christi M CCCC XCIX.

Vesputii altera in Americam expeditio.



POsteaquam nõ usq; adeò infeliciter prima cessit navigatio, Rex Castiliæ Ferdinandus plures adhuc naves adornari jussit, quod alias adhuc regiones, Dn. Americi Vesputii opera indagare, esset animus. Is igitur 11. Maii, Anno 1499 cum adjuncto comitatu Castilia solvens, cursum à viridibus Insulis ad magnas Canarias tenuit, atque ad flammivomam insulam *Delfuogo*, appulit: cumq; inibi de lignis atque aqua abundè sibi prospexissent, cursu Austrum versus directo, decimo nono die, continentem terram attigerunt. Regio hæc ex adverso alterius (cujus in priore navigatione est mentio) sita sub Zona torrida, ortum versus extra æquinoctialem lineam, quinque gradibus à meridionali linea, 500. vero milliaribus à Canariis insulis remota est. Æquinoctium hîc in 27. Junij incidit, quando sol versatur in signo Cancri.

Postquam autem hanc regionem passim aquis inundatam, undiq; circumiissent, nec commodam navi stationem, neque ullum hominem reperire possent, licet ex certis indiciis terram illam hominibus haudquaquam destitutam esse, colligere esset facile, ut quæ culta, undiq; viridis, ac ingentibus procerisq; arboribus erat consita: ulterius vela facientes post multas ambages in amœnam quandam insulam delati sunt. In hac, cum quatuor miliaria processissent, magnam hominum multitudinem, de qua admodum lętabantur, conspicati sunt: interea ex navibus, grandem quandam Cymbam Indianis plenam alto mari fluitare cernunt. Itaque aliquot scaphæ illis obviam missæ sunt, quę ex longinquo cymbam istam ambirent. Cùm verò propius jam Cymbę imminerent, Barbari protinus sublatis remis, cursum sistunt, atque ad pugnam se parant. Submittitur ergo navibus Celox, quæ venti commoditate cymbam intercluderet. Licet autem toto isto die omnem operam navarent Hispani, duos duntaxat intercipere potuerunt, reliqui in mare desultantes, quamvis ad duo miliaria à littore remoti essent, natando manus hostium evadere satagebant.

Hispani ingẽtem Barbarorum cymbam intercipiunt.

In deserta cymba, quatuor adolescentes reperiebantur, qui quidem non ejusdem cum barbaris hisce erant nationis, sed prædâ ex aliis regionibus abducti erant. His virilia recens exsecta erant, unde nõ parum admirationis animos Hispanorum subiit. Deducti in Hispanorum navem, signis ac nutibus indicabant: Hosce populos, esse crudeles atque immanes illos *Caniabales* seu Anthropophagos, à quibus capti, atque ad macellum destinati essent. Itaq; ad dimidium à littore milliare anchoras demergentes, magnam Barbarorum turbam in littore conspexerunt, qui tamen omnes ad illorum aspectum in densas sylvas fuga sese proripuerunt. Cùm igitur nemo adventum illorum præstolari auderet, unum ex captivis, nolis, speculis aliisq; crepundiis placatum ad suos ablegarunt, qui non hostili, sed amico animo Hispanos venisse, edoceret. Is rem adeò graviter exequitur, ut postridie quadringentis cùm viris, tum mulieribus stipatus ad navem revertere-

Quatuor exsecti juvenes.

teretur. Qui cùm nudi atq; inermes venissent, Hispani familiaritatem atque amicitiam cum illis contraxerunt, quæ ut arctiori vinculo constringeretur, alterum etiam captivum, unà cum cymba, quæ ex solido ligno structa, 26. passus in longitudinem, duos cubitos in latitudinem porrigebatur, ipsis restituerunt: quâ receptâ, & in loca tuta deductâ, confestim omnes aufugerunt, omnem cum Hispanis consuetudinem detrectantes: unde harum gentium barbaries ac feritas satis elucescit. Auri parum hisce locis invenitur, quia exiguas tantùm lamellas ab auriculis suspenderant. Cùm igitur parùm istic loci sese lucri facturos cernerent, sublatis anchoris, octoginta emensi miliaria ad portum quendam commodissimum devenêre: in quo appellentes, quàm humanissimè ab incolis sunt excepti, ac pro more gentis satis lautè habiti, à quibus etiam pro unica nola, 500. margaritas, atque auctarii loco, aliquantum auri acceperunt. Hoc in loco potus ex fructibus, herbis, ac radicibus conficitur, optimus verò ex myrrhæ pomis præparatur, cujus haustus valetudini maximè conducit. Cæterum universa regio aliarum rerum feracissima est; homines admodum humani atque affabiles, ut qui cum illis comparari possint, vix totâ Americâ reperiantur. Hispani summa cum voluptate 17. dies in hoc portu commorabantur, siquidem quotidie ab incolis invisebantur, qui Hispanorum formam albedinem, vestes, arma, navium molem intuentes præ stupore haud satis expleri poterant. Simul etiam indicabant, nationem quandam versus ortum ipsis inimicam esse, in quarum regione margaritæ magnâ copiâ nascerentur; à quibus etiam istas margaritas, quas jam modo Hispanis obtulissent, olim armorum vi extorsissent. Docebant etiam, quomodo margaritæ istæ nascantur, ac capi soleant: quod ita se habere re ipsa experti sunt. Solventes ex hoc portu paulo post in alium quendam scaphæ reficiendę ergo declinarunt: licet autē magnā Barbarorum turbam in eo conspicerent, tamen neq; vi, neque blanditiis illos in sui amorem pertrahere poterant. Sive enim scapham versus littus propellerent, atque egressum in terram molirentur, omni conatu id Barbari prohibere studebant: Sin in terram jam descendissent, illorum adventum non præstolati Barbari, in sylvas præproperè dilabebantur. Itaque feritate illorum moti Hispani, aliorsum vela direxerunt, ac ad 15. milliaria progressi, in Insula quadam homines usque adeo brutos, stupidos, interim tamen beneficos offenderunt, ut eorum similes nusquam hactenus viderint. Nos formam moresq; eorum breviter describemus. Ipsa facies, ac constitutio corporis belvinum quid præ se fert: buccas viridi herba, quam pecudum more semper ruminant, inflatas habent, ut præ ea vix verbum proloqui possint. A collo binas exsiccatas atq; exenteratas cucurbitas: herba ista ac farina repletas suspendunt: utramque enim simul masticant, ac postea ore evomunt, idq; identidem repetunt. Mirati initio hosce illorum ritus Hispani, postea illorum causas didicere.

Barbari vilibus donis placantur.

Hispani à Barbaris honorificè excepti.

Populus hic usque adeò mansuetus erat, ut absque ullo metu Hispanis sese immiscerent, atque ita cum illis versarentur, ac si vetus consuetudo inter ipsos contracta fuisset. Hispani liberè cum ipsis loquebantur, & aliquo usque in terram ipsorum exspatiati sunt. Cùm itaque aquæ dulcis copiam sibi fieri peterent, causas intellexerunt, cur adeò frequenter herbam istam masticarent. Gestibus enim innuebant, nullum aquæ dulcis fluvium tota regione reperiri: ideo ad sitim aliquo modo restinguendam herbam istam adhiberi, cujus particulam aliquam nobis porrigebant. Iidem referebant, interdum se rore nocturno, qui in certum quoddam foliorum genus, auriculis leporinis non absimile, sitim sedare. Cæterum ejusmodi fructus ex quibus in continente vivunt, in hac insula non reperiuntur, præcipuum ipsis cibum pisces suppeditant,

 domos


domos habent nullas, ſed contra ſolis æſtum latis quibuſdam foliis ſeſe tuentur, pluviarum injuriis interim expoſiti, quas iſtic loci haud ita crebras eſſe, vero ſimile eſt. Piſcatum prodeuntes, quilibet tale folium ſecum portat, illudq; in ripa defigit, ut ubi maximè flagrat æſtus, ſub eo latitare poſſint. Feræ illic omnis generis reperiuntur, quæ aquam pluviatilem ex paludibus hauriunt.


Cum igitur nihil operæ precium in hac inſula impetrare poſſent, ſublatis anchoris ad aliam quandam perrexerunt: hanc, quod neminem haberent obvium, initio incultam ac deſertam arbitrati ſunt: exſcenſione autem in terram factâ, ingentia quædam veſtigia arenis impreſſa adverterunt, quæ opinionem ipſis attulerunt, immanes Gigantes hanc inſulam incolere: quod eventus poſtea comprobavit. Cum enim novem Hiſpani ductum tramitis cujusdam ſecuti, aquam recentem veſtigatum irent, vix miliare emenſi, in quinque domos inciderunt, in quibus duas prægrandis ſtaturæ fœminas, cum tribus puellis non ſine admiratione conſpexerunt. Quæ peregrinos conſpicatæ, uſque adeò obſtupuerunt, ut quaſi attonitæ, fugæ planè immemores, loco ne moverentur quidem. Tandem vetulæ ſuâ linguâ Hiſpanos comiter ſalutarunt, ac in unam domum congregatis cibum pro re nata apponebant. Hiſpanis non deerat animus, tres illas puellas ſecum abductas, tanquam monſtrum aliquod in Hiſpaniam deportare: dum verò iſtam rem moliuntur, ecce triginta ſex nudi viri, bonam partem mulieres ſtatura ſuperantes, ſatis decora corporis proportione præditi advenere. Tum verò aqua Hiſpanis hæſit, qui nunquam pedem navi ſe extuliſſe, maluiſſent. Nam prægrandes arcus, vaſtas ſagittas, atque immanes clavas manibus volvebant, ac ſtrenuorum magnanimorum militum perſonam ſuſtinebant. Gigantes iſti, ut primum ædes intrarunt tacitum quid inter ſe murmurabant, acſi de capiendis Hiſpanis conſilia agitarent. Hiſpani, quanto in periculo eſſent, animadvertentes, inter ſe quoque ſententiis variabant: quidam enim eos in ædibus aggrediendos, alii in planiciem prodeundum, reliqui neutrum faciendum, ſed quid ipſi facturi eſſent, expectandum cenſebant. Hæc dum inter ſe animo volverent, domo exeunt, ac viam naves verſus relegunt. Gigantes ad lapidis jactum illos paulatim magno cum fremitu inſequebantur, verùm æquè ac Hiſpani væcordes erant. Subſiſtentibus enim Hiſpanis, Gigantes quoque pedem figebant: pergentibus illis, hi quoque pedetentim progrediebantur. Poſtquam autem ad naves delati, in easq; recepti eſſent, tum demum Barbari in mare ruentes magno cum furore ſagittas ſuas in naves contorſerunt, unde tamen nihil ad Hiſpanos damni rediit, qui duo tormenta in ipſos evibrantes, facilè ut in proximum montem fugam capeſſerent, illos adegerunt. Inſulam hanc Hiſpani Gigantum inſulam nuncuparunt, quod tam immanis ſtaturæ viros in ea repeiſſent. Certè aliquoties cum Gigantibus iſtis velitatum eſt, ſi fortè littus eorum raderent, aut aliquid ex terra petitum irent Hiſpani: Omnino enim permittere nolebant ut vel minimum ex illorum regione exportaretur. Cùm igitur Veſputius annum jam in mari vagaretur, annona imminui, ac ſocii ob continuos æſtus debilitari cœpiſſent, quippe ſub Zona torrida maximam partem verſabantur, ac bis æquinoctialem lineam ſuperarant, placuit, alium quendam portum, navibus reſtaurandis ac itineri promovendo magis idoneum quærere. Dum ergo à Gigantum inſula diſcedunt, paulò poſt ad aliam quandam nationem pervenere, à quibus amicè excepti, ac comiter tractati ſunt: Hîc magna margaritarum provenit copia, ut pro 40. ducatorum precio, quo nolas, ſpecula, cryſtallos aliasq; viles merculas ſibi comparaverant, 1.9.

Mar-

Marcas redemerint, ac pro unica nola ingentem margaritarum cumulum receperint. Hæ ibidem in musculis capiuntur, tanta copia, ut in una sæpè concha, centum triginta plus minus reperiantur: ubi ad maturitatem pervenere sua sponte excidunt: crudæ verò nullius sunt precii, quippe quæ exarescant, ac tandem contabescant. Post 47. dierum in hac insula moram, inde Antigliæ insulam versus, quam paucos ante annos Christophorus Columbus detexerat, navigarunt: ubi postquam duos menses totidemq; dies navibus restaurandis impendissent, ad reditum sese accinxerunt. Christiani id temporis in hac insula ad extremas angustias redacti erant, quas hoc loco consultò præterimus. Demum 22. Junii ex hac insula solventes, post sesquimensem, 8. Septembris feliciter, magna cum omnium gratulatione, appulerunt.

FINIS.





VERA AC SOLIDA NARRATIO DE MODERNO PROVINCIÆ VIRGINIÆ STATU, QUA RATIONE TANDEM PAX CUM INDIANIS sancita sit, Anglíque oppida & castella quædam ad regionis præsidium extruxerint.

Cui addita

RELATIO HISTORICA, QUO MODO POCAHUNTAS, Regis Virginiæ Powhatani filia, baptismi sacris initiata Anglo cuidam nupserit,

LECTU JUCUNDISSIMA,

ANGLICO PRIMUM IDIOMATE, PER RAPHE HAMOR, &c. EIUS loci Secretarium descripta, nunc verò Latio donata, sumptibus Johan-Theodori de Bry.

Ad Benevolum Lectorem.



HAUD immeritò mirari possit, honestatis artiumque ingeniosarum cupidus Lector, aliquot jam annis nihil memorabile, de provincia Virginia ejusque moderno statu typis editum in lucem prodiisse. Quod ideò hactenus intermissum, quia Angli cum vindictæ cupidis, odioque implacabili ardentibus Indianis, præsertim iis, qui fluvios Pataomecke, & Topahanaah accolunt, regemque Powhatan dominum agnoscunt, acerrimum bellum annos quinque continuos gerere coacti sunt. Posteaquam verò planè mirabili atque insperato remedio pax inter illos coaluit, sancita, ac confirmata est, Angli jam summa hac illac commeandi, suaque commercia in ista regione distrahendi fruuntur libertate, ut oppida etiam, castella & propugnacula quædam, ut in tabula ad calcem libri adjecta videre est, extruxerint. Itaque operæ precium me facturum duxi, si discursum de rebus utrinque gestis, Anglicè per Raphe Hamor, *dictarum insularum Secretarium, ad* Dn Thomam Schmidt Equitem, *Supremum Indiæ Orientalis, Moscoviæ, expeditionum Septentri-occidentalium, Insularumque Æstivarum Administratorem & præsidem, provinciæ Virginiæ Thesaurarium &c. conscriptum, in Latium sermonem transferrem, typisque commissum publici juris facerem. Nec verò est, quod quis existimet, me res ipsâ ætate exoletas promere, cum omnia Annis proximè præterlabentibus 1613. & 1614 sub Equitibus* Dn. Thoma Gates, & Thoma Daln, *istarum insularum Gubernatoribus gesta sint. De Virginia ejusque situ plura non addo, sed lectorem ad proximè sequentis navigationis*

vigationis historiam, ubi copiosiùs describitur, remitto, ne crebra eorumdem repetitio nauseam moveat.

Unum oro benevolum lectorem, cùm narratio ex Anglico idiomate in latinum conversa sit, si fortè obscuriùs quædam latinè dicta videri possint, quamvis exemplar Anglicum, quantum ejus fieri potuit, ad verbum exprimere studuerimus, id ne in sinistram partem interpretetur, sed hosce nostros labores æqui bonique accipiat. Quod si contigerit, animum quoque nobis ad plura ac majora in hac vel simili materia, majori quoque conatu & studio tentanda addiderit.

Quod superest, gratias Deo agamus immortales, qui barbaras hasce atque agrestes nationes unà cum aliis tot jam seculis profundis tenebris, densâque incredulitatis caligine demersas, ad sui, verbique sui divini agnitionem adducere dignatus est: ac caveamus sedulò, ne turpi ingratitudine, ac contumaci tantorum, tamque divinorum beneficiorum contemtu, Deo lucem verbi sui inter nos extinguendi, eâque alias regiones collustrandi ansam præbeamus. Vale & fruere.

VERA



VERA DE MODERNO VIRGINIÆ STATU, ET FELICI COLONIÆ IN EAM DEDUCTÆ PROGRESSU USQUE ad 18. Julii, Ann. 1614.

NARRATIO.

Caput Primum.

Quid authorem ad scribendum impulerit.



CREBRÆ eæq; variæ de Virginia typis publicis editæ narrationes, tanquam negocium, quod mihi cum multis aliis vagis novarumq; rerum cupidis ingeniis commune futurum sit, undeq; parùm adhuc utilitatis ad quemquam redierit; fortaſſis animum meum ad aliquid de hac provincia ſcribendum etiam proclivem abſterrere potuiſſet, niſi filiale obſequium, quo patri meo ſummo jure me obſtrictum fateor, contrarium ſuaſiſſet. Huic ergo morem gerendum cenſui, tali in re, cui tanquam oculatus teſtis optimè teſtimonium perhibere poſſum, quæq; non exigui momenti à patre meo aliisq; viris honoratis exiſtimatur. Antequam autem illud opus aggrediar, id unicè ex intimis cordis mei penetralibus voveo, ut ſimplex hæc & qualis qualis, veritati tamen (quod ſalvâ conſcientiâ teſtor) congrua relatio, non ſine fructu abeat, ſed fidem ſtudiumq; eximium hoc atque honorificum negocium promovendi, in animis lectorum excitet. Cui quidem negocio, ſi nulla etiam alia cauſa accederet, quis ſcopus propoſitus ſit, manifeſtò apparet; nempe Dei optimi maximi Gloria, quæ converſione harum infidelium & barbararum gentium illuſtratur: Regis noſtri majeſtas, patriæq; emolumentum, quæ optimo jure iſtarum regionum, quibus gubernandis atq; adminiſtrandis à Deo præfecti ſunt, immenſas opes ac divitias ſibi vendicat. Quod quidem ad dextrè ſentientium Chriſtianorum animos excitandos, ſatis eſſe poſſit, præſertim ſi modernus Coloniæ noſtræ ſtatus, in quo à meo inde diſceſſu floret vigetq; conſideretur. Affirmare verò auſim, interea temporis eam viribus opibusq; multum profeciſſe, ut dolendum ſit optimo cuiq; maximè, tam contemtim & abjectè paſſim de ea judicari & pronunciari.

Author oculatus teſtis.

Verum omnino eſt, poſt quinquennale bellum inteſtinum, continuo cum vindictæ cupida & implacabili Indianorum gente geſtum, tandem certam pacem, quæ facilè violari non poterit, non ſolùm cum finitimis Indianis, fluviorum Pataomecke, Topahanah aliorumq; accolis, verùm etiam cum verſutiſſimo infeſtiſſimoq; hoſte, Powhatan, aliisq; populis ipſius dominio ſubjectis, quorum nomine ſuam fidem Powhatan, omnia ſtata & rata fore, interpoſuit, ſancitam atq; confirmatam eſſe. Hujus beneficio, liberè hujus regionis commoditatibus frui, atq; incolarum operâ ad negocia noſtra promovenda uti poſſumus. Siquidem facilè erudiri poſſunt, & ſi modeſtè atque amicabiliter cum ipſis ageretur, (qua quidem in parte egregiam navat operam Dn. Thomas Dale ſummus Provinciæ Gubernator, vir honoribus iſtis digniſſimus, & ad Barbarorum animos prudentiâ & lenitate ſua demulcendos maximè idoneus:) exiguo cum labore ab agreſti

gresti victu ad civilem humanitatem & consuetudinem revocarentur. Naturâ enim quodam ingenii acumine pollent, quo ipsos etiam Anglos superare conniuntur, quamvis ocio maximè sint dediti, ii præsertim, quibus hactenus familiariter usi sumus, qui maximam partem quoad rationis usum cum brutis animantibus conferri possunt, potiusq; ducunt, ignavo ocio immori, quod experientia docuit, quàm labore victum sibi quærere, nisi legum rigore & vigore ad labores adigerentur. Nec parùm inde utilitatis ad nos rediit, quod nostri homines jam securè, absq; ullo metu operi quisq; suo possunt incumbere. Sic enim 20. jam nunc præstant, quod antea 40. vix effecissent.

Etsi autem non sit incognitum, quibus mediis feliciter pax ista, magno commerciorum nostrorum emolumento, ipsorumq; incolarum bono, sancita atque confirmata sit: tamen in honorem *Capitanei Argols*, cujus hac in parte summam laudem meretur industria atq; prudentia, æquum esse duco, ut in hoc quoq; discursu ejus rei mentionem faciam, operam daturus, ut omnia breviter & succinctè recenseam, nec quicquam eorum, quæ huc pertinere videbuntur, prætereeam. *Quibus mediis pax sancita.*

Generales igitur literæ, quotquot earum mihi videre licuit, ad Amplissimum regionis Virginiæ senatum, maximam partem à me licet indigno concinnatæ atq; exaratæ affirmant: Virum omni laude dignissimum Capitaneum Argols prædicto bello pro sua prudentia, & exacta de Indianorum natura, indole, ac moribus judicandi peritia, partim amicabili conversatione, partim æquabili commerciorum utrinq; commutatione, eò rem deduxisse, ut Germani fratris instar apud Powhatanẽ potentissimum istius Provinciæ regem haberetur: quod certè prudentię & moderationi ejus acceptum ferendum; quâ tantum effecit, ut non solùm Indiani ipsius verbis fidẽ haberent, sed ipsi quoq; promissis suis fideliter starent. Quamvis asserant nonnulli, infidelibus non esse habendam fidem, quæ quidem sententia paradoxa planeq; absurda est. Imò verò sæpius ipsum Capitaneum referentem audivi, tanquam omni fide dignum: Ipsos Indianos inter se diffidere, neq; convenire aut sibi ipsis satisfacere posse, dum nesciunt, qua ratione benevolam suam mentem, tali facto declarent, quo non tantùm animum Capitanei sibi demereantur, sed universam coloniam insigni quodam beneficio afficiant: Affirmare verò uno ore omnes, tempus atq; occasionem accuratè sese præstolari, quâ omni benevolentia ipsum prosequuturi sint. Atq; ita factis honestos, promissis largos sese testantur. Capitanei Argols laus.

Accidit autem, ut Pokahuntas, regis Powhatanis filia, patri apprimè dilecta, cujus etiam fama in ipsam Angliam sub Nonparellæ nomine percrebuit, pro heroica sua indole, ut sic loquar, secum constitueret animi oblectãdi gratia, absente Capitaneo Argols ad quendam ex amicis Pataomeckam usq; expaciari, idq; habitu institorio, ac si merces quasdam patris, aliis mercibus permutandas venum gestaret: quo quidem in loco tres circiter menses substitit. Interea Capitaneus Argols, sive ex pacto, sive negociorum suorum gratiâ Pataomekam rediit. Pokahuntas igitur, quæ aliâs Anglis semper bene voluerat, & amicitię federa cum Anglis renovari unicè expetebat, Capitanei videndi cupida, eum sub ignoto habitu, ne quid inde periculi sibi crearetur, invisere statuit: quod & fecit. Capitaneus Argol hac de re monitus, statim cum veteri suo amico, quem fratris loco habet, Japazæo, consilia confert, qua ratione Pokahuntas intercipi, & in potestatem suam redigi posset: Asserens, tempus jam esse, aut nunquam fore, quo toties verbis sibi promissam fidem facto ipso posset testatam facere. Sic enim hoc redemptionis precio & Anglos, qui apud Regem captivi detinerentur, liberari, &

Japazæi responsum.

arma contra jus fasq; sibi à Rege erepta recuperari posse. Interim illam decenter & honestè habitum iri pollicetur. Japazæus intelligens virginem honestè & bene à fratre suo Argol habitum iri, continuo operam suam illi addicit: Atque ut voto suo eò citiùs potiretur, tali astu rem se aggressurum docet: Adhibendam uxoris operam, cùm fœminæ in ejusmodi fraudibus ac fallaciis nectendis viris plerumq; sint ingeniosiores. Ea, cùm Pokahuntas fratrem suum, Capitaneum Argol, ad flumen usque comitaretur, quò ubi perventum esset, ingens naves conscendendi easq; perlustrandi simularet desiderium, cui licet sæpius eousque progressa sit, nondum tamen potuerit satisfacere: itaq; obnixè serioq; instaret apud maritum suum, ut naves adeundi facultas sibi concederetur. Tum se fronte caperata, verbis iram spirantibus hoc ipsi præcisè denegaturum: iniquum esse quod peteret, cùm aliarum fœminarum sodalitio destitueretur. Hanc repulsam passa mulier, in ploratus & lachrymas sese effunderet. Quis enim ignorat, fœminas lachrymis imperare posse, & ut flerent oculos suos erudiisse? Tandem se maritum, quasi commiseratione erga uxorem motum, ipsi indulturum, ut naves ascendat, modò Pokahuntas sodalem sese ipsi velit adjungere. In hoc verò cardo rei versabatur, si Pokahuntas persuaderi posset, ut petitioni isti assentiretur, quæ non ignara, quantis injuriis Angli à Parente suo affecti essent, ut ut tectam se fore, & haudquaquam cognitum iri speraret, metuebat tamen.

Sed indesinentibus illorum precibus victa, cessit demum, sicq; una cum illis naves conscendit. Omnia jam ante in navibus pro conditione loci parata erant: ad cœnam itur, tempusq; lætis confabulationibus aliquandiu teritur. In primis hilares sese exhibebant Japazæus cum uxore, quæ subinde in lætitiæ signum Capitanei Argols pedem premens, Prædam petitam in ipsius casses incidisse innuebat. Cœnâ jam finitâ, Pokahuntas in Tormentariorum Magistri cubiculum, somnum ibidem ea nocte captura deducitur. Japazæus verò cum uxore ampliùs cum Capitaneo Argol colloquebantur, quo actu quibusq; insidiis Pokahuntam deceptam in potestatem ac captivitatem ejus tradiderint, sicuti modo dictum est. Quibus sermonibus ultro citroq; habitis, singuli ad quietem sese composuere.

CAP.

CAP. II.


POSTERA die, Pokahuntas dolum subesse minimè quidem suspicata, sinistri tamen aliquid verita, summo manè prima è lecto se proripit, acriterq; Japazęum, ut abitum acceleret, urget. Verùm Capitaneus Argol illum jam antea parvulo quodam lebete aheneo, aliisq; vilis precii merculis probè donaverat, quæ tanti ab ipso æstimabantur, ut ipsiusmodi præmii spe inductus patrem suum prodere haudquaquam dubitasset. Illum igitur cum uxore liberè dimittit, sed Pocahuntam in navi retinet, factiq; causas ostendit varias: Parentem ejus Anglos aliquot intercepisse, multa arma, bombardas aliaq; instrumenta, proditoria fraude diversis temporibus suis militibus erepta contra jus fasq; detinere, quorum usum licet planè ignoraret, nec quicquam tamen eorum vellet restituere. Pokahuntas, rem ita ex composito cum Japazæo gestam, nescia, ex animo tristari, suamq; miseriam deplorare: Japazæus autem & verbis & gestibus indignissimè se ferre simulabat, quod se ductore & ministro in istam calamitatem, incidisset. Tandem flexanimi blandoq; Capitanei alloquio monita, sortem istam patienter, consilio illorum acquievit, sicque Jacobopolin deducta est. Mittitur continuò ad parentē ejus nuncius, qui filiam ejus in Anglorum potestatem devenisse, ab illisq; captivam attineri diceret, donec in redemptionis precium captivos Anglos, cum proditoriè interceptis armis, musquettis, aliisq; instrumentis bellicis restitueret. Parùm isto nuncio lætatus, imò tristatus & perturbatus fuit Rex, cùm ob amorem, quo filiam prosequebatur, tum ob affectum benevolum erga Anglos: licet enim opera illorum nulla in re uti posset, magni tamen illos faciebat: sic etiam quamvis armorum nostrorum tractandorum minimè gnarus esset, aspectu tamen illorum mirum in modum delectabatur.

Pokahuntas Jacobopolin abducitur.

Pokahuntas quo precio redimenda.

Itaq; tam citò, quid sibi animi esset, re nec dum cum consiliariis deliberata, explicare noluit, imò responsum ultra tres menses distulit. Isto enim intervallo, ne verbulum quidem à Rege afferebatur. Postea verò à nonnullis persuasus septem captivos nostros, totidem corruptis nulliusq; pretii musquettis instructos dimisit liberos, Anglisq; nunciari jussit; Siquidem visum nobis esset, Filiam ipsi restituere, abundè nobis satisfactū iri: pro illatis enim injuriis, & bombardis partim corruptis, partim furto ablatis quingētos frumenti modios se persoluturum, fœdusq; æternum nobiscum initurum. Homines nostros, bombardas, & redemptionis precium ad partem accepimus, simulq; ei respondimus: Filiam ipsius cōmodè vivere, ac honestè à nobis haberi, deincepsq; habitum iri, quocunq; demum modo nobiscum agere decrevisset. Fieri autem non posse, ut reliqua nostra arma vel furto ipsi surrepta, vel corrupta alióve casu deperdita credamus. Neutiquam igitur, nisi arma sua recuperassent priùs, filiam ipsi reddituros: Tum verò liberum ipsi fore, pacémne æternam, an bellum perpetuum secum malit alere. Non placuisse Regi hoc Anglorum responsum, inde cognitum, quod ad Martii diem ultimum usque altum de omni tractatione penes Regem fuit silentium. Tunc enim Dn. Thomas Dale, Capitanei Argols navem, cymbis aliquot ad coloniam pertinentibus comitatam, ac centum quinquaginta armatis fluvium, donec ad præcipuam Powhatanis sedem pervenissent, jussit adscendere. Hi filiam Regis secum unà adducebant, si forte hac ratione ad pugnam eum pertrahere, ut bellicæ fortitudinis, cujus laudem passim obtinebat, aliquod ederet specimen: aut residuam precii partem, quam adhuc exigebant, arma nimirum sua, musquettas aliaq; instrumenta bellica possent impetrare. Quidam au-

autem ex iis,quos nobis remiserat,rursus,sicuti promiserant, ad Regem transfugerunt, quòd molestiam quingentos illos frumenti modios deportandi sibi injunctam cernerent. Toto isto itinere subditi regis magno spectaculo confluentes,subinde sciscitabantur,quid adventus iste noster portenderet? Quibus respondebamus: Decrevisse nos Pocahuntam, quam eum in finem adduxeramus, regi Powhatano restituere, quamprimum viros arma,frumentum recepissemus:sin minùs, acerrimè nos cum ipsis pugnaturos, domos ipsorum subjecto igni exusturos, Canoas deprædaturos, nassas piscatorias direpturos & omnis generis damna,quæ quidem possemus,illaturos. Quidam ex iis,ut aliis fortiores haberentur,ad hæc regerebant:siquidem pugnandi animo venissemus, gratum sibi hunc nostrum adventum fore,quippe qui ad injurias nostras depellendas satis sint muniti atque instructi:id verò consilii se nobis dare, maturè pedem referremus,siquidem saluti nostræ consultum cuperemus:hocq; prætextu plurimum nobis insultabant: Quotiescunq; aquâ bellum gestum sit, semper res nostras pejori loco fuisse. Exprobrantes cladem sub Capitaneo *Ratliefe*,viro infamiâ potius quam ulla honorifica mentione digno,acceptam,quem cum potissima militum suorum manu fraudulenter,& nefariè trucidarant.

Tum nostri, quandoquidem cladibus suis insultare Indianis esset volupe, ad vindictam de insigni illorum perfidia sumendam, se paratos ostendebant, nisi quam primum ac multo æquioribus conditionibus res componeretur. Post hos sermones utrinq; habitos progredimur ulteriùs : vix angustias fluvii ingressi, cùm cymbæ nostræ vix ad teli jactum à littore consisterent,densum telorum ab Indianis in insidiis latentibus excussorum imbrem in nos ingruentem cernimus,quo unus ex nostris in anteriore capitis parte vulneratus, de vita in dubium venisset, nisi Chirurgi peritiâ ac diligenti curâ in integrum fuisset restitutus.

CAP.

CAP. III.



Ac igitur legitimâ hoſtes ulciſcendi oblatâ occaſione, continuò ſcaphis conſcenſis ad littus appulimus, ibidemq́; quadraginta exuſtis domibus, quicquid repertum miſerè deprædati ſumus, quinq; etiam aut ſex Indianis, ut ex illorum indicio poſtmodo cognitum eſt, ſauciatis ac trucidatis. Sic iræ & vindictæ ſatis indultum arbitrantes, quòd primi tanto impetu ſagittas Indiani in Anglos evibraſſent. Poſtridie, cùm altiùs in fluvio proveheremur, acclamant Indiani, cauſamq́; inquirunt: cur in terram exſcenſione factâ, ædes ipſorum igne deformaſſemus, ac aliquot vulneratis atq; obtruncatis, bona etiam ipſorum diripuiſſemus? Reſponſum his: Veniſſe quidem nos animo pacis cupido repetitum res noſtras, amicitiamq́; arctiori vinculo confirmatum: ſicq́; voto potitos quamprimum diſceſſuros fuiſſe: animum verò vireſq́; nequaquam nobis deeſſe, quin illatas injurias atq; contumelias fortiter ulciſcamur, & in earum authores ſeverè animadvertamus. Poſteaquam verò aliquo modo, licet non adeò graves, uti mẽs ferebat, pœnas expopoſcerimus, iis contentos fore, ac deinceps pacem cum ipſis, ſiquidem ita liberet, inviolatam culturos. Tum Indiani prætendere; Non à ſe tela in noſtros directa, caſu verò ab errone quodam Indiano, ardelione peſſimo, id factum, qui mentis conſiliiq́; noſtri, cur eò appuliſſemus, ignarus, arcum temerario auſu ſtrinxerit: Contra verò polliceri; ſe noſtra clade nequaquam delectari, imò id operam dare velle, ut quamprimum bona noſtra nobis reſtituerentur; & ſiquidem in Regis ſui ſede & palatio attinerentur, confeſtim miſſo nuncio regis ſui mentem exploraturos, dummodo viginti quatuor horarum inducias impetrare poſſent; id enim temporis requiri, quò tabellarius negocium rectè expedire poſſit. Induciæ iſtæ à nobis datæ, atq; inviolatæ ſunt habitæ. Poſtquam autem tempus illarum jam præteriiſſet, noſtri ex Indianis, quid Regi ipſorum ſit animi, quid reſponſi datum exquirunt. Reſpondent illi; Quoſdam ex noſtris, qui hactenus inter ipſos vixiſſent, mortis ſupplicium, quod ipſis à nobis immineret veritos, clam aufugiſſe, itaq; à Rege Powhatane miſſos, qui ex fuga illos retraherent. Arma verò & muſquettas, quotquot eorum eſſent reliqua, poſtridie allatum iri. Id verò temporis lucrandi, terminiq́; prorogandi gratiâ, quò diutiùs ab ipſis detineremur, potiſſimum fiebat. Neq; enim poſtridie armorum quicquam afferebatur, neq; certi quid nobis licebat cognoſcere. Altiùs igitur fluvium aſcendimus, & ad præcipuam ſedem Regis Powhatanis, vicum quendam, *Mazkot* dictũ, anchoras excutimus. Hoc in loco viri 400. circiter congregati erant, arcubus teliſq́; probè inſtructi, qui impetum in nos facturi, ſuperbè ut in terram exſcenderemus, nos provocabant, cùm tamen id jamdudum nobis fuiſſet animi: Ad terram ergo deproperantes loco ſanè nobis iniquo, ubi littus aliquantò erat altius, in continentem enitimur; quo quidem in loco commodè nos potuiſſent opprimere hoſtes, ſiquidem primi hoſtiliter nobiſcum agere voluiſſent, licet primâ facie, aperto prælio nobiſcum ſigna collaturi viderentur. Ut in terram progreſſi ſumus, ac ſi nullum ipſis metuendum periculum, ne latum quidem unguem nobis ceſſerunt, ſed ſurſum deorſum hac illacq́; inter noſtros obambularunt: primates verò Regem noſtrum quærebant: hunc enim ſe conventum cupere, ut cauſam adventus noſtri cognoſcerent, ſignificabant. Quâ intellectâ; Omnino ſe jam ad defenſionem paratos eſſe dixerunt, ſiquidem hoſtiliter eos aggrederemur: Nihilominus tamen temporis aliquid

 quid

quid sibi concedi flagitabant, quo duos trésve viros ad Regem suum ablegarent, ejusq; sententiam super hac re exquirerent, quæ si voto nostrorum non responderet, tum demum strenuè rem gesturos, sicq; ubi sanguinis satis effusum fuerit, finem querellis nostris impositum iri. Iterum verò moras nectere satagebant, quò tempestivè res suas in alia loca deportare possent.

Nos fraudes illorum probè subodorati, nihilominus petitioni annuentes, securitatem ipsis in posteræ lucis meridiem promittimus, fide data, fore, ut interea temporis nullum ipsis damnum inferatur, neque ullus eorum intercipiatur; imò non ante ad pugnam egressuros, quam tubâ classicum cecinerint. His promissis freti duo ex Powhatanis filiis, sororem, quæ non procul inde in littore asservabatur, invisuri, cumq; ea collocuturi, ad nos venerunt: qui sororem, quam indignè haberi hactenus crediderant, conspicati, in tanto apud nos honore, ac precio esse, ultra modum gavisi ac polliciti sunt: Procul omni dubio apud Patrem se impetraturos, omnemq; lapidem moturos, ut & Pokahuntas redimatur, & firma certaq; pax utrinq; sanciatur. Sic ergo duo isti fratres nobiscum ad Portum profecti sunt, cùm paulò antè duos Anglos D. Johannem Rolfes, & M. Sparkes, ad regem Powhatanem, ut de his rebus ipsum certiorem redderent, ablegassemus. Ii postridie, posteaquam lautè accepti fuissent, domum redierunt. Ad ipsum regem Powhatanem aditus ipsis non patuerat, sed ad fratrem ejus *Apachamo*, qui jam regni hæres declaratus, supremum in omnibus negociis imperium obtinebat, deducti fuerant, qui itidem promiserat: omnem quoque operam se daturum, quo legitimæ nostrorum petitioni satisfiat. His ita gestis, cùm anni ratio, Aprili jam instante, domum ad negocia conficienda, agros colendos, & in sequentem hyemem conserendos, nos revocaret, rebus omnibus ad abitum jam paratis discessimus, terminum regi in proximè sequentem autumnum prorogantes, ut interea quid factu optimum putaret, decerneret: addita lege, nisi interea temporis plenariè lis ista decideretur, continuò nos advolaturos, ac frugibus ablatis, domibus exustis, nassis piscatoriis subversis, canois interceptis, quicquid obvium futurum sit destructuros atque devastaturos.

Filiorum Regis pollicitatio.

CAP.

CAP. IV.

IAM diu antè, quàm res iſta tranſigeretur, primarius quidam vir, magni ob res optimè ſemper geſtas inter Anglos nominis, M. Johannis Rolf, amore Pokahuntæ incenſus nuptias ejus ambiverat, eiq; Pokahuntas facilè nuptura viſa fuerat. Itaq; eo ipſo tractationis ſuſceptæ tempore, oportunum ratus, rem omnem per ſchedulam Capitaneo Thomæ Dalenio detego: Ipſeq; Rolf Cap. Daleni conſilium hac in re, atque operam ſiquidem propagationem iſtius amoris è re ſua fore exiſtimaret, expetit: Pokahuntas verò eadem de re fratres reddit certiores. Non malè hoc inſtitutum Capitaneo placuit, eaq; unica cauſa fuit, cur tam facilem & benignum ſeſe Indianis præbuerit, qui, abſque eo fuiſſet, niſi aliis oblatis conditionibus, militem nunquam ex finibus illorum abduxiſſet.

Nec ingrata aut inviſa fuit ipſi Powhatani de novo iſto conjugio narratio, ut ex ſubito ejus reſponſo, faciliq; aſſenſu apparuit. Vix decem enim diebus interjectis, præcipuum inter cognatos Opachiſcum unà cum multis aliis ablegavit, qui ſuo nomine filiam Rolfio deſponſarent; ac ſolemnitati nuptiali unà cum duobus regiis filiis intereſſent, quæ quidem nuptiæ magnificè pro ratione octavo circiter Aprilis die peractæ ac celebratæ ſunt. Ipſa verò Pokahuntas, poſteaquam cum M. Rolfio in Angliam reduce, Londini appuliſſet, in capitibus doctrinæ Chriſtianæ, veriq; Dei agnitione fideliter erudita ibidem in vico Infantino, præſentibus ex equeſtri ordine, promiſcuaq; plebe quàm plurimis, Baptiſmi ſacris initiata eſt: ac cùm ad Menſem uſque Martium Anni ruentis 1617. ibidem ſubſtitiſſet, fato ſuo functa, in vivis eſſe deſiit. Ab iſto tempore commercia liberè, ſummaq; cum benevolentia, non ſolùm cum ipſo Rege Powhatane, ſed omnibus ejus ſubditis inſtituimus, ut nulla, ne ſuſpicio quidem afferri poſſit, quominus colonia noſtra firma perpetuaq; pace fruitura videatur.

Præter hanc cum rege Powhatane amicitiam, haud abs re fuerit, alterius quoque quæ cum proximis ipſorum accolis, Cichohominibus ſancita eſt, mentionem facere. Cichohomines, genus hominum eſt alacre & magnanimum, qui diu jam excuſſo Powhatani imperio liberi vixerunt, propriiſq; ſtatutis & legibus inter ſe rempublicam adminiſtrarunt. Hi poſteaquam Pacem inter nos, & Powhatanem coaluiſſe intellexerunt; fama enim iſta ſtatim ad exteras oras percrebuit; duos ex ſuorum numero, duobus eximiè pinguibus cervis, tanquam dono Regi noſtro (ſic communiter D. Thomam Dalenum appellabant) offerendo inſtructos ablegarunt, qui ſe ſuaq; obſequia ipſius imperio ſubmitterent, præterea ſignificantes; Licet hactenus jurati noſtri hoſtes fuerint, ut nos ipſorum, tamen, ſi conditiones nobis placeant, in poſterum non ſolum fidos certoſq; noſtros amicos, ſed & Jacobi Regis ſubditos & vectigales fore; in quem finem abjecto priſco Cichohominum nomine, idem, quo nos appellare conſueverint, nempe Toſſanteſſarum aſſumpturi ſint. Et quia pro tempore ſummo capite ac domino deſtituantur, ſe Dominum Thomam Dalenum, Regis Jacobi vicarium, ſummiſſe rogatum velle, ut ſummi præfecti regis, ac domini honore inter ipſos defungi, in civilibus aut criminalibus cauſis jus cuiq; ſuum tueri haud gravetur. Id unum excipientes, ut ſuis ipſis legibus ac ſtatutis agere vivereq; liceat: & quoniam ob varia negocia, & multiplicem ſuorum ipſius ſubditorum curam, non ſemper præſens ipſis adeſſe poſſet, regimen octo ſenioribus & primariis inter ipſos viris committatur, qui tanquam præſides ac

con-

consiliarii ejus dicerent. Dalenus adhæc certum ipsis diem dixit, quo Commissarios & Legatos suos ad ipsos directurus sit, qui certas illis conditiones sint præscripturi, in quas si consenserint, æqui boniq; se oblatam pacem atq; amicitiam accipere, ipsorumq; Regem ac dominum fore. Pro ferinâ muneris loco missa, Cupri pauxillum reddidit, quod quidem illi accipere honestè detrectarunt.

Cùm dies dictus jam appropinquasset, ipse Dn. Dalenus, & Capitaneus Argol, cum 50 armatis, navem probè munitam, ne quam forte proditionem molirentur, ingressi, ad Cichohomines, qui in sinu quodam nostri fluminis, septem milliaribus Anglicis à Jacobipoli dissito habitant, se contulerunt. Quò ubi perventum, populum omnem, sicuti legati polliciti fuerant, congregatum reperimus, qui pro more & consuetudine sua quàm honorificentissimè nos exceperunt: & quia domestici nostri labores diuturniorem isto in loco moram non ferebant, primores insulæ, qui nondum eò venerant, quam primum accersiti, postridie summo manè senatu coacto comparuerunt. Capitaneus Argol (qui Dn. Thomæ Daleni, quod is certis de causis in navi tectus in navi remansisset, locum occuparat) post longas ambages in mentem ante acta ipsis revocat, quomodo pacem cum ipsis unicè exoptarint, atq; amoris benevolentiæq; mutua officia invicem stipulati sint. Eam ob rem se à Magno Commendatore missum esse, ut pacem istam firmiter sanciret, ac præteritas injurias perpetua ἀμνηστίᾳ aboleret: Iis tamen conditionibus, quæ sequenti capite proponentur.

CAP. V.



Conditiones, quibus Cichohomines ab Anglis in numerum confœderatorum cooptati, paxq; inter utrasq; nationes confirmata, hæ sunt.

Primò, Promissis fidem præstent, ac Thassanthassarum seu Anglorum assumpto nomine, regis sui Jacobi subditos esse perpetuoq; fore, omnemq; honorem, fidem, obsequium ejus in istis regionibus vicariis sese exhibituros polliceantur.

Secundò, Nullum ex nostris neque virum, neque pecus interficiant; si quid ab illis damni datum, aut fuga facta fuerit, vivos ad nostros reducant, ac damni compensatione facta acquiescant.

Tertiò, Quovis tempore 300. aut 400. sagittariorum suppetias in promptu habeant, sive contra Hispanos, quorum nomen istic invisum, quod Powhatanis patrem India occidentali pulsum, istas sedes quærere compulerint: sive contra alios Indianos, qui ob fœdus cum ipsis initum quacunq; injuriâ ipsos affecturi sint.

Quartò, Ne quacunq; specie aut prætextu palos à nobis fixos effodiant, aut oppida castellaq; nostra quavis ratione aut via ingrediantur, nisi prius debito more & loco Thassantessas adesse professi fuerint: Quod si fiat, honestè comitati, lautè amiceq; excipiantur.

Quintò, Quotquot armis idonei inter ipsos reperiuntur, quorum numerus ad 500. ferè excrescit, eorum singuli quotannis sub initium autumni duos frumenti modios loco tributi in signum obedientiæ Regiæ Majestati, ejusq; Vicario debitæ, dependant; è contra tantum ferri recipiant, quantum ad Tomahavakes seu minores sagittas muniendas sufficit.

Sextò & ultimò, Octo senatorii ordinis viri, qui in republica administranda perso-
nam

nam D. Daleni repręſentare debeant, dent omnem operam, ut articuli iſti accuratè ab omnibus ſerventur, prępmium quotannis habituri rubeā veſtem cū regis inſignibus, cujus effigiē cupro inſculptā, ac catenâ cupreâ collo ſuſpenſam ubiq; geſtare teneantur, ut hac ratione tanquam Regis Jacobi nobiles à reliquis diſcerni poſſint. Si verò una vel plures ex his conditionibus violetur, libera ac plena penes hos poteſtas maneat in ſontes animadvertendi, quippe qui reliquorum nomine ſuam fidem obſtrinxerint.

Articulis hiſce hunc in modū in medium prolatis, uno ore omnes prōptos paratosq; ſeſe declararunt, ad omnia iis pręſcripta fideliter exequēda: primarius verò inter octo ſenatorii ordinis viros luculenta oratione habitâ, primò ſeniores, mox juniores, tādem fœminas & impuberes affatus, ſummam articulorum præſcriptorum, & quàm exactè obſervari eos oporteat, expoſuit. Simul addens, quid viciſſim ab illis ſibi polliceri habeant; quod nimirum ipſos nō tantùm defenſuri & à Powhatanis, quem maximè hactenus veriti ſint, injuriis & tyrannide liberaturi, ſed omnē cùm internorū tum externorū hoſtiū vim ab ipſis depulſuri; adhęc cōmerciis, cupro, vitro, lapillis, ſagittis aliisq; rebus neceſſariis, abūdè ipſos inſtructuri: quin etiā, ꝙ maximè arridebat, liberā ipſis reipublicę ſecundùm priſcas leges & privilegia per octo primarios viros adminiſtrationē permiſſuri ſint.

Cauſæ autem, cur Cichohomines iſta à nobis peterent, tamq; inſperatā amicitiam offerrent, potiſſimæ videbantur, quod Regis Powhatanis metuerēt iracundiam; quē poſt fœdus nobiſcum initum ſatis virium habere ad pœnas rebellionis ab ipſis exigendas exiſtimabant. Populus enim hic, ut antea diximus, ſua virtute ac robore fretus, jam diu Powhatanis imperium atq; jugum excuſſerat, atq; conſpiratione facta obſequia & ſervitia olim ipſi præſtita detrectarat. Itaq; veriti ne Rex jus ſuum perſequēs, Anglorum viribus adjutus denuò ſub jugum ipſos retraheret, maluerunt Anglos ſolos agnoſcere dominos, quàm utrosq; hoſtes experiri, ac nihilominus ſeſe Regis Powhatanis tyrānidi & oppreſſionibus exponere. Satis enim habebant cognitum, ipſum eſſe Regem impium, crudelē atq; injuriarum plenum, adhęc rerum alienarum avidum atq; implacabilem, ſi pro voto rebus petitis non potiatur. His adducti rationibus, rectiùs ſuperbiæ atq; inſolentiæ Powhatanis obviā iri poſſe animadverterunt, ſi nobiſcū in unum populū coaleſcerēt, quippe qui ab illius injuriis, cùm non Cichohomines, ſed Toſſanteſſę ac Regis Jacobi ſubditi ſint, tutiùs poſſint vivere, præſertim Anglis ad patrocinium ipſorum ſuſcipiendum jam ex fœdere obligatis. *Quid Cichohomines, ut Anglorum ſubditi fierent, impulerit.*

Finito colloquio ac pace ſolēniter confirmatâ, Capitaneus Argol octo magnę molis Cupri laminas, totidemq; Tomahawkes, munera in medium protulit, quibus octo ex primoribus, tanquam Senatorii ordinis viros obſtrinxit, ut juxta latas leges pacis articulos inviolatos deinceps conſervarent; quæ quidem munera illi grata mente accipientes, Capitaneo viciſſim ferinas carnes, gallinas indicas, recentes piſces, ſtoreas, corbes, aliaq; id genus dona, quæ in promptu erant, in amoris teſtimonium obtulerunt. Atq; ita univerſa concio fuit diſſoluta. Quilibet verò eorum noſtris pelles, rotundos globulos, ſtoreas, corbes, Tabacco aliaq; id generis certo precio venalia exponebat; tamq; familiariter nobiſcum verſabantur, ac ſi planè Anglorum induiſſent naturam.

Hęc de confirmata cum Naturalibus Virginię incolis amicitia ejusq; cauſis, paucis attingere volui, ac ſpe fruor bona, Deū mentem illorum ſua luce colluſtraturū, ut quā plurimū Deo, qui nos ad illas Barbaras nationes deduxerit, ſe debere intelligāt. Quid enim Deo gratius & acceptius, quid Regi noſtro honorificētius, quid patriæ noſtræ fructuoſius, quā hoc ipſum, quod in manibus eſt negocium, ac Coloniæ deductæ propagatio.

D CAP.

CAP. VI.



C certè Coloniæ nostræ propagatio maximos & quamplurimos experta est hostes atq; turbatores. Duo verò sunt potissimum, quę nostros homines absterruerunt hactenus, ne transitum in hęc loca facerent, bellum nimirum cum Naturalibus incolis, & famis crudelitas. Ex his unum, quod alterum ferè secum traxit, jã è medio removi, idem de altero quoq; facturus. Ut ut verò sit, gnaviter me imprudentem, ne dicam impudentem esse oporteret, si ea certò affirmem, cujus gustum vix exiguum percepi. Omnis autẽ mali labes ex mala regiminis administratione, nostrorũ hominũ pigritia, ac discordia, in primis ex coorta, post clarissimorum ducum D. Thomæ Gati, & D. Georgii Sommerii, ad insulas Sommerias Dei auspiciis feliciter expugnãdas, seditione, originem traxisse videtur, qui si adfuissent, nunquam in tantas calamitates Colonia nostra devenisset, in quibus illam sub nostrum ex Bermuda reditum reperimus, ita ut ex sexcentis, quos ante decem menses vivos istic reliqueramus, vix sexaginta superstites fuerint. Nunc autem etiam apud infensissimos hujus Coloniæ hostes confidenter ausim affirmare, omnia ad victum necessaria summa istic reperiri copiâ, ut quilibet ea facili negocio sibi queat cõparare, nec quicquam ferè amplius possit desiderari. Licet enim quatuor ab hinc annis acriter cũ famis injuriis cõflictati sunt, nunc tamen longè alia rerum est facies, ut si quis modicam saltem impendere velit diligentiam, acquisitissimis epulis dapibusq; mensas possit exornare. Causa in promptu est. Olim enim cùm ex communi commeatu alerentur ac sustentarentur omnes, ac communiter arva colerent ac sererent, quilibet se eo labore quàm citissimè defunctum summopere lætabatur; qui verò alicujus nominis atq; authoritatis inter reliquos erant, perfunctoriè omnia obibant, vix unicum in septimana diem labores ferre sustinentes, de publico Colonię emolumento, ac futura messe parùm solliciti, cũ omnino persuasum sibi haberent, qualiscunq; etiã foret Autumnus, sibi nihilominus ex communi granario de rebus ad victum necessariis prospectum iri. Atque ita triginta hominum operâ vix tantum frumenti comparari potuit, quãtum tres sedula diligentia lucrari potuissent. Ut verò huic malo atq; incommodo obviam iretur, novas leges D. Thom. Dalenus per universam Coloniam condidit, quibus provisum ne ulla in re (excepto vestitu solo) commeatus publicus gravaretur; idq; sequenti ratione. Unicuiq; Colono (exceptis Bermudæ civibus) tres agros Anglicos assignavit, quos rusticorum instar quã diligentissimè colerent. Hi quotannis unicum tantum mensem oneribus ac laboribus publicis ferendis adhiberentur, excepto tamen illo tempore, quo vel serendis vel colligendis frugibus ipsi distinerentur. Ex fructibus verò nihil, nisi duos cum dimidio siliginis modios granario publico dependant, ut ex eo recens advecti & ad hanc coloniam traducti, annum post ipsorum adventum integrum possint sustentari. Atq; hac ratione ausim pronunciare, tam abundè annonæ nostræ prospectum iri, ut trecentis, vel quadringentis hominibus, quandocunq; etiam huc mittantur, alendis sufficiat. Si igitur vel dimidia pars, quæ hactenus in commeatuum sumptus expensa, ad lectulos vestesq; comparandas erogetur, non modo vita multorum, sed & valetudo viresq; conservabuntur, ut quilibet eò rectiùs labores sibi injunctos perferre atq; exantlare possit. Simul etiam, quod sumptibus hac ratione imminutis, conquisitum fuerit, id ad commercia eò meliùs derivari poterit, unde non mediocre communi bono accedet emolumentum.

Quod possessionem Civitatis Bermudæ attinet, ex qua vel maxima in hoc territo-

rio

rio spes nobis affulsit, sicut ejus delineatio, quam huic tractatui inserere visum est, id luculenter ostendit, quomodo sua sponte manum huic operi admoverint, quomodo omnia gesta sint, suo loco explicabitur. Interim dabis mihi veniã, si hac in re brevitati studeam, ne longior dum sim, alicujus animum metu inopiæ aut famis territum ab hoc itinere suscipiendo avertam, præsertim cùm de soli fertilitate agatur.

Si enim ii, quos Rusticorum nomine recensui, quotannis duos cum dimidio siliginis modios granario publico inferre ac dependere possint, ut & reliqui, quibus integros decem menses in communibus coloniæ negociis laborantibus, unicus tantum ad victum conquirendum conceditur, quis est ille usque adeò vęcors, ut dummodo aliquam diligentiam adhibere velit, famis injurias sibi metuẽdas existimet. Ac fidem mihi facio, omnes harum actionum participes, rerumq; gnaros suo calculo meam sentẽtiam comprobaturos, nec unquam voto suo, Coloniã eò deductam esse, improbaturos: Quinimo sibi ipsis, suisq; rebus injuriam inurerent maximam, nisi acriter sese iis opponerent, omniq; aditu ad has regiones intercluderent eos, quorũ multiplicibus querelis, ex mera invidia profectis, Virginia tanquam telo saucia graviter hactenus laboravit. Quare hac mea narratione nõ solum honestis ac sedulis animum addere; sed pigros, ignavos, timidos, & flagitiosos deterrere volui, ne hoc iter ingrediantur, cùm indigni sint, qui in Virginiæ regione pedem figant, quæ ipsorum ingenio planè adversatur, ac illis tantùm debetur, qui post varias exantlatas molestias & calamitates ex variis incommodis, periculis atq; injuriis evaserunt, quòd ignavis haudquaquam datur, inprimis qui cum Scorbuto diu cõflictati sunt, quem illi qualis morbus sit, vix ac ne vix quidẽ unquam experti sunt.

CAP. VII.



Ut igitur iis, qui huic operi sunt idonei, calcar addã fortius, quotquot cruce ac calamitatibus hoc in mundo pressi, jacturam fortunarum perpessi, aut sumptibus liberorum, familiæq; numero pręgravati, non absq; labore & sudore hic in extrema paupertate vitam trahũt, isti, inquam, omnes, siquidem migrationis aleam subire volent, facili negocio cognoscent, quid inter natale ipsorum solum & hanc regionem intersit. Jam enim ea Coloniæ istius ratio est, postquam omnia rectiùs constituta, primæq; molestię devoratę sunt, ut quicunque deinceps istic appulerit, si familiam alat, absq; ullo locationis precio, domũ habere possit quatuor vel pluribus etiam cubiculis distinctam, adhæc duos agros Anglicos ad eandem pertinentes, probè circumseptos, quorum ususfructus ipsi soli cõceditur. De radicibus, hortis, herbis, frumento, non est quod quis magnopere laboret, sicuti illos quidẽ, qui primùm fortunã istic loci periclitati sunt, facere oportuit. Primo enim anno de cõmeatu & rebus ad victum necessariis abundè ipsi prospicietur. Ex annona publicè cõgesta ista facilè suppeditari poterunt. Hisce igitur conditionibus cum familia annum integrum ex publico aletur, ut interea tẽporis in annum sequentem ac deinceps sibi suisq; de victu necessario provideat, quemadmodũ & reliquos, qui jam istic degunt, facere oportet. In quẽ finẽ omnis generis necessariis instrumẽtis donabitur, atq; ut rectiùs se suosq; possit sustentare, gallinas ac sues, imò si virtus ejus id promereri videbitur, caprã unam atq; alteram, fortasse etiam vaccam impetrabit; Sic anno vertente quàm commodissimè hisce in locis poterit vivere: ut facere multos certò novi, quos nulla unquã ex his terris alio migrandi libido subiit, quod illorum ingenio & experientiæ considerandũ relinquo.

Ne quis verò tædium aut fastidium inde concipiat, quod solius panis siliginei, non autem aliorùm ciborum atq; alimentorum hîc à nobis fiat mentio. Panis enim solus, licet justo labore comparari possit, vitam satis duram & miserabilem arguit. Neminem autem usq; adeò rudem ac stolidum existimo, qui sibi imaginetur, tam amplam Virginiæ regionem, nullius dominio, antequam à nobis detegeretur, subjectam, tot fluminibus irriguam, ab omnium aliorum injuriis & oneribus liberam, præ cæteris regionibus, animantibus, piscibus, atq; avibus esse destitutam. Summâ enim copiâ istic reperiuntur Leones, ursi, aliæq; minores majoresq; omnis generis feræ, quæ fæcunditate sola à nostratibus differunt, plærumq; enim tres quatuórve enituntur fœtus quæ infra duos gesserint, nec vidi, nec audivi unquam. Causam ejus rei ex nostris quidam gramini, herbis & pascuis, quibus utantur, vescantur, asscribunt, unde fiat, ut in nostris regionibus capræ ternos interdum, ut plurimum autem binos fœtus, pariant. Ego verò fœcunditatem istam divinæ potius providentiæ & bonitati tribuendam censeo, quæ unicuiq; Creaturæ de cibo affatim prospexit. Nisi enim tam frequens & numerosa ferarum istarum esset prolificatio, Naturales incolæ cum acerrima fame conflictarentur. Tot enim quotidie ex feris sternuntur: quot per integrum anni spacium in Anglia ad macellum trahuntur: Atq; hac quidem in re neq; capreis parturientibus, neq; catulis biduum excedentibus parcunt. Præter ursos reperias illic Lutras, Vulpeculas, *Racounes*, animal, quòd plerumq; ultra Vulpeculæ magnitudinem non excrescit, caro verò usque adeò est delicata, ut cum agnina de sapore certet: Adhæc lepores, catos silvestres, feles muscigeras, sciuros vol antes, aliosq; trium aut quatuor generum.

Animal mirabile. Apossumes, magnitudine ac forma corporis Porcello menstruo non absimile, animal est robustæ atq; adeò incredibilis naturæ, septem, plus minúsve ut plurimum uno partu excludit fœtus, quos donec menstruam ætatem attingant, pro libitu nunc alvo recondit, nunc iterum promit, absq; ullo suo aut catulorum detrimento.

De omnibus hisce animantibus, solis exceptis Leonibus, aliquoties cõmedi, atque affirmare possum, illorum carnes non modo cibum boni salubriq; saporis, sed optimi etiam nutrimenti suppeditare.

Avium quoque illic varia ac distincta inveniuntur genera, utpote Aquilæ, Pavones indici sylvestres nostratibus longè majores, grues anglicæ, albi atque cineritii falcones, accipitres, palumbes innumerabiles præsertim hyberno tempore, quorum ipse aliquoties duarũ aut quatuor horarum spacio tã densum in nubibus vidi coiisse agmen, ut terram quodammodo obscurarint, Turcici item accipitres, perdices, ficedulæ, ululæ, cygni, anseres, anates, monedulæ, aliæq; minores volucres, passeres, reguli, pici, & hyberno tempore circa Christi Natalitia, immensa avicularum copia, quas Parakerthots vocant.

Flumina piscibus scatent, puta Sturiis, Porpassis, Basiis, Cyprinis, halecibus, Anguillis, percis, platessis, trutis, cancris, ostreis, aliisq; id genus variis & quàm plurimis: hos magnâ copiâ, præsertim æstate præterita, quàm proximè Thomę Schmidii insulam capi vidimus, cùm navis quædam Indica Sturiis, Basiis aliisq; piscibus majoribus in Capitanei Argols territorio oneraretur. Ac certè eodem in loco, qui 15. milliaribus à Pointeomfort distat, dummodò sale ad pisces condiendos & conservandos satis instructi fuissemus, tantam piscium vim brevi retibus concludere potuissemus, quæ in integrum annum nobis sufficeisset, quod equidem magno nostrum omnium cessisset bono.

Neque verò hæ regiones panem tantum & pisces, qui necessariò ad vitam sustinen-

nendam requiruntur, affatim suppeditant, sed magnam quoque & multiplicem varietatem earum rerum, quæ nostra profert tellus, ut radicum lutearum, pastinacarum, raporum, raphanorum, cucurbitarum ex India Occidentali allatarum magnâ copiâ. Vidi enim ex uno seminis nucleo centenos excrevisse fructus, qui & nostratibus longè meliores, & per totum annum essent durabiles. Proveniunt ibidem Brassica capitata, Petroselinum, omnisq; generis herbæ tam ad vescendum, quàm cibos condiendos idoneæ, Majorana, Thymus, Hissopus, Lactuca, Borrago. Præter vulgare ejus regionis frumentum, optimè mihi triticum, ciceres, fabæq; placuerunt. Anglicum nostrum triticum fœliciter succreverat, quam plurimis aristis conspicuum: ex uno enim grano vel quadraginta cerneres, unam spithamam longas, in quibus nihil præter maturitatem desiderares. Sub Junii mensis medium Ciceres Anglici jam maturuerant, fabæ summâ ubertate provenerant, hordeum item anglicum summâ spe Colonum impleverat, ut lætiorem segetem ipse oculis meis in Anglia nunquam usurpaverim. Cùm igitur hæc regio, quod mecum salva conscientia testari poterunt omnes, qui istic loci vixerunt unquam, tam eximiorum fructuum ferax sit, qui neq; saporis bonitate, neque etiam magnitudine anglicis aut ullius regionis fructibus cedant; quis reperiri possit, cui viribus integro, tam tranquillo rerum statu in Virginia vel in somnis lurida famis imago obversetur.

CAP. VIII.

QUOD si ulterius progrediamur, nullam equidem regionem, (de Anglia enim hoc affirmare non possum) novi, quæ sua sponte, absque hominum opera atque artificio tot tamq; varios fructus quasi ex largo sinu depromat. Passim enim in sylvis botri sylvestres magna copia proveniunt, ex quibus succus dulcissimi suavissimiq; saporis exprimitur; horum palmites aliquot in alia vineta transtulimus prope Henricopolin, iis tres quatuórve agros circiter consevimus, quæ hoc anno uberem promittunt vindemiam. Quid de novellis vitibus sperandum, tempus arguit. Cerasa nostratibus paulo minora, quæ tamen si transplantarentur, fructus procul dubio proferrent & majores & meliores. Pruna Damascena mespilorum forma & magnitudine, cute glabra; ut & alia pruna, ejusdem cum nostratibus & magnitudinis & bonitatis. Ingentes campi sylvæq; refertæ sunt fragis longè nostris & pulchrioribus, & dulcioribus. Mora eximia circa Bermudam & Hundertæ regionis limites summâ copiâ leguntur. Maricoks fructuum genus Limonibus non absimile, florem protrudit, qui cum pulcherrimis fragrantissimisq; Europæ floribus facilè comparari possit. Castaneæ magna copiâ instar quercuum excrescunt, & fructus ferunt uberrimos. Præclari verò admodum & copiosi fructus ex Cinnamo percipiuntur, cujus cortex Castaneæ similis, sive viridis, sive elixus, cibum præbet dulcem, sed concoctu difficilem. Juglandes trium aut quatuor istic reperias generum ex quibus magnam olei conficiunt copiam, quod bonitate & suavitate oleo olivarum minimè cedit. Nuces quoque avellanas quibusdam in locis conspexi. Pomi sylvestres passim magno proveniunt numero, quibus si pomorũ Anglicarum insererentur surculi, omni procul dubio, brevi temporis spacio, amabiles proferrent fructus. Ejusmodi surculorum non contemnendam annus proximè insequens nobis suppeditabit copiam, cum Jacobipoli in Thomæ Gates horto pomi pyriq; à prioribus præfectis positæ quàm felissimè excrescant.

ſcant. Sin autem iſthæc nondum ad victum ſubminiſtrandum ſatis eſſe videantur, alia adhuc ſpes ſubeſt. Colonia enim noſtra de ducentis optimi generis bobus, pręter caprarum aprorumq; in ſylvis errantium innumerabiles greges, ſibi jam proſpexit. Adhæc unicuiq; civitati communiter, ac privatim ſingulis certus equarum, equorum, pullorumq; additus eſt numerus: ut & magna gallinarum, pavonum, ac columbarum fœcundiſſimè ſeſe multiplicantium copia: ut proinde neſciam, an ulla reſpublica melius conſtitui poſſit. De Tauris junioribus futura hyeme duos aut tres jugales expectamus, quibus inſtructi frumentum ex Anglia mutuò acceptum brevi reſtituemus.

Quod ſi de alio defectu, aut impedimento mihi conſtaret, quorum tœdio quis iter in haſce regiones ſuſcipere gravaretur, illa quoque nullo negocio è medio removerem. Veſtitum comparandi difficultas afferri poſſit: ego verò omninò exiſtimo, quandiu ferarum nobis ſuppetent pelles, nullam veſtium, quantacunq; etiam urgeat neceſſitas, fore penuriam: quid enim obſtat, cur non ex iis, æquè ac naturales incolæ, nobis veſtes conficere poſſimus, cum iſtæc veſtitus ratio nequaquam vilior aut deterior ſit ea, qua majores noſtri uſi ſunt. Ejuſmodi etiam veſtes ad frigoris injurias, ſolisq; æſtus depellendos maximè idoneæ ſunt. Quod ſi verò ejuſmodi obtineri non poſſent, aut earum tædio noſtri homines ducerentur, ignavum patrem familias eſſe oportet, qui de veſtitu annuo ſibi proſpicere non poſſit: ideoq; author eſſem, ne ejuſmodi ignavis ventribus facultas haſce regiones adeundi concederetur: quippe hæ regiones illos tantummodo ferunt, qui de veſtitu annuo ſibi providere poſſunt. Ne quid dicam de inſigni ejus pigritia, qui annis inſequentibus deteriorem aut inferiorem ſeſe veſtiendi iniret rationem, quàm primis annis, cùm haſce terras adiret, habuerit. Quæſtus enim ex Tabacco proveniens, quod in Anglia ſummo in precio habetur, in hiſce verò locis magna copia ſeritur, iis veſtimenta, aliasq; res neceſſarias affatim ſuppeditabit. Tabacco enim noſtrum, illi quod ex occidentali India, ex Trinidado, aut Craco affertur, ſi non præcedit, certè minimè cedit.

Hactenus animum addere volui iis, qui in perſona, ut ſic loquar, regiones haſce veſtigatum ire, ſibi volupe eſſe ducunt. Supereſt ut illos quoque, qui negocia hæc ſuſceperunt, idoneis argumentis, ut in propoſito ſuo absq; ulla intermiſſione conſtanter perſeverent, confirmem; idq; ut faciant, Dei gloria, honor Regis, utilitas patriæ, ac honeſta ſui ipſorum exiſtimatio poſtulat. Non tamen hoc de Nobiliſſimis ampliſſimisq; conſiliariis intellectum velim, qui, ut ſpe ducor bona, monitore haud egent, ſed naturali bonitate ad cœptum proſequendum permoventur: ſed de mercatoribus, qui ſumptus expeditioni huic maritimæ neceſſarios ſubminiſtrant, loquor. Illi enim accurata eorum omniū, quæ in hiſce locis obtineri poſſunt, expoſitione, meq; monitore opus habere viſi ſunt. Ad illos igitur orationem meam converto, ac ſi ab illis impetrare poſſim, ut in propoſito pauliſper adhuc conſtantes perſeverent, ſpero fructum fore uberiorem, quæſtum verò longè jucundiorem.

Certè non levi de cauſa nobiliſſimus ac fortiſſimus Dn. Thomas Dale, nulla neque vitæ, neque conjugis in Anglia relictæ ratione habita, tempus præſtitutum præterire paſſus, in hiſce regionibus diutiùs ſubſtitit. Non dubito, quin ſummo cum honore, ſiquidem ipſi haud aliter viſum, ex hiſce locis diſcedere, patriasq; terras reviſere potuiſſet &c. Sed verbum non amplius addo.

CAP.

CAP. IX.



AC certè verbis haudquaquam opus est: in cassum enim ac frustra repeterentur ac commemorarentur utilitates, quæ humana industria ac labore istic comparari possunt, de quibus integri extant tractatus, quorum exemplum in Angliam est remissum. Nec quisquam est, qui rerum istis in locis repertarum dignitatem atq; amplitudinem in dubium vocet: Animo duntaxat sitis constanti ac strenuo, patienter duorũ annorum, donec quæ neglecta sunt, compensentur, ferte moram: ac novis submissis colonis, viribus numeroq; vos reddite fortiores. Porrò adhuc paululum legite ac dispicite formam coloniæ, in qua exornanda parum hactenus laboris diligentięq; positum, quid ex ea lucri pręsenti hoc anno perceptum fuerit.

Mense Majo, Ann. 1611. D. Thomas Dale felici navigatione usus, nona postquam solvisset septimana, in Virginia appulit, advehens secum trecentos homines, pro ratione istius temporis hinc inde collectos, prioribus tamen rerum gerendarum peritiâ longè inferiores; Neque enim adeò sagaces erant, ut quamvis summopere fame atq; extrema omnium rerum penuria premerentur, de frumento, quod panem hybernum suppeditaret, serendo quicquam cogitarent; sed ab annona publica toti penderent, quæ ad octo tantùm menses in promptu erat. Itaq; Dn. Thomæ Dalen hic omnium primus incubuit labor, ut agros, duobus propugnaculis in Recougthan, Henrici, nempe & Caroli vicinos frumento consereret, ut priusquam dictum annonæ tempus planè excurreret, sub finem videlicet Maji, à frugibus abundè satis essemus instructi.

Rebus hunc in modum constitutis, earumq; cura Præfectis inferioribus commissa, Jacobopolin, ubi maxima Coloniæ pars degebat, se contulit, atq; ibidem varias easq; summè utiles ac necessarias vivendi leges præscripsit. Quos enim in vicis trocho ludere animadvertebat, hos manum operi admovere, ligna cædere, palos, postes vectesq; præparare jussit, ut quam animo statuerat urbem feliciùs posset absolvere. Idq; potissimum hisce de causis; quod regionis nondum satis gnarus, quippe qui recens isthic appulisset, quo loco urbem conderet, dubius ferretur. Itaq; ut loci naturam rectiùs exploraret, quadraginta viris comitatus, omnem regionem perlustravit, nec parum temporis huic negocio impendit.

Primus fluvium *Nausamude*, frustra obnitentibus Indianis, sociis nostris aperuit, ac usque ad ostium nostri fluminis, primumq; aquæ decursum, cui edita quædam regio, 16. aut 20. Leucas Anglicas à promontorio civitatis *Arsahatoke* dissita, adjacet, penetravit, quem locum urbi condendæ maximè idoneum ratus cæteris omnibus prætulit: quod eventus ipse postea edocuit, ut suo loco dicetur. Cæterùm non parum molestiæ ipsi devorandum fuit, donec populum suum in ordinem cogeret, & quia hactenus quodammodo absq; lege ac rege vixerant, editorum acrioribus frenis illorum licentiam necesse habuit constringere, ut articuli hac de re in lucem editi satis arguunt. Ac certè nisi sub initium acriter ac seriò in delinquentes animadvertisset, jampridem de colonia fuisset actum.

Plures enim id temporis capitis erant rei, quàm nunc vel levissimam culpam sustinent. Testatur id primo anno à Vvebeo, ac Priseo, deinceps vero ab Abbotio aliisq; facta defectio, quæ posterior priori multò fuit deterior. Ne hæc ipsa quidem æstas à sedi-

tione

tione Rotei ac Kitchini fuit immunis, qui cum tribus aliis ad Hispanicam quandam Coloniam Australem oram insidentem, transfugerunt. Hi pactis induciis freti, cum quinq; dierum itinere Ocanahornam usque progressi essent, miserè trucidati perierunt. Indianis enim quibusdam, ut illos reducerent, injunctum fuerat. Nemo ergo tyrannidis Dn. Thomam Dalenum insimulet, quod severiore usus disciplina, exemplum, aliis usui quod sit, in hisce transfugis ac rebellibus statuerit, quippe cùm is natura sua magis ad bonos meritis præmiis condecorandos, quàm extrema adversus contumaces remedia usurpanda sit proclivis.

CAP. X.



VT verò in summa ejus diligentia, quam ad Thomæ Gates adventum usq;, nunquam in se desiderari passus est, commemoranda pergam: totus in trabibus, palis, postibus, vectibusq; conficiendis fuit occupatus, ut inchoatum propugnaculum, novamq; urbem contra Indianorum maliciam, ac proditorias fraudes probè communiret, quod in ipso meditullio ac umbilico quasi istius regionis certam sibi sedem extruere decrevisset: Dum igitur isthæc animo volueret, manuq; jam moliretur, ecce Thomas Gates, cujus tamen navigatio diutiùs, quàm pro more solito protracta fuerat, opem ipsi laturus, 2. Augusti die cum sex navium viris, annona, pecudibus quàm optimè instructarum classe, oportunè advenit. Quod verò quis esset, nondum nos reddidisset certiores, principio, Flotam quandam Hispanicam adesse arbitrati sumus, in qua opinione nos confirmavit, quod in comitatu ipsius tres caravellas seu triremes, cum aliis minoribus navibus, quales antequam armenta deveherentur, istic loci nec dum videramus, conspiceremus. Avidè mecum expectabant omnes, quid Thomas Dale, qui etiamnum urbis condendæ negociis distinebatur, adversus flotam istam consilii capturus, & cùm externi militis impetum vix dum jacta urbis fundamenta sustinerent, quomodo injuriam omnem à se suisq; esset depulsurus.

Tandem annonam omnem, mercesq; nostras in duas majores naves, Starre, & Prosperantz dictas, ante Jacopolin ab anchoris hærentes comportari jussit; quòd omnino duabus istis navibus hosti obviam ire decrevisset. Itaq; non promissis tantùm, ac certâ victoriæ spe animos militum complevit, verùm illud quoq; probè illis inculcavit: siquidem Deus hunc ultimum vitæ suæ terminum ipsis præfixisset, nunquam laudabiliorem atq; Regi acceptiorem mortem ipsos oppetituros. Se quod attineret, potiùs injecto in suam Hispanicasq; naves igne conflagraturum, quàm passurum, ut vel victoria, vel ulla suarum navium hostes potirentur. Id potissimum animum ejus angebat, quod annonam omnem tam subito in naves transferre non poterat. Dum ergo negocium istud maximè urgeret, celocem quandam triginta tormentis majoribus, aliisq; rebus necessariis probè instructam, quæ quid navium istarum adventus sibi vellet, cognosceret, ac certi quid de earum conatibus quàm primum referret, ablegavit. Hæc trium horarum spacio reversa nuncium attulit: Anglicanam esse classem, cui Dominus Thomas Gates summo cum imperio præesset. Quantam vero ex hoc nuncio lætitiæ materiam Thomas Dale conceperit, cùm jam cœpta feliciter ad exitum perductum iri nullus dubitaret, facilè ex suo ingenio colligere poterunt omnes, qui Coloniæ hujus res salvas ac promotas cupiunt.

Salute utrinq; dicta, Dominus Thomas Dale rem omnem Domino Thomæ Gates exposuit, quòd nimirum post ipsius discessum consilium de urbe proximè fluminis cataractas condenda iniisset: Consilium illud cum Dominus Thomas Gates, supremus id temporis Virginiæ Præses minimè improbaret, Daleno trecentos quinquaginta, ipsius arbitrio delectos adjunxit viros, quibuscum sub initium Septembris Ann. 1611. Jacobopoli solvens, sesquidiei spacio ad locum urbi statuendæ designatum contendit: cúmque vix decendium ibi substitisset, ac septem Anglica jugera, quæ novæ urbi sedem præbitura essent, certis limitibus descripsisset: eam in honorem pientissimæ laudatissimæq; memoriæ Principis Henrici, cujus Majestas huic Coloniæ quàm optimè velle, ac favere visa est, *Henrico* nuncupavit. Posteaquam igitur locum istum palorum septo circumdedisset, atq; hac ratione contra Barbarorum injurias probè munivisset, id apprimè utile esse duxit, ut rerum suarum incolumitate posthabitâ, hinc inde ad unumquemque civitatis angulum præaltæ ac firmæ speculæ extruerentur, quemadmodum etiam eximium templum amplumq; granarium erexit: postmodum demum de commodis sedibus sibi suisq; deligendis cogitavit, quæ quidem, quàm celerrimè fieri potuit solidissimè ac pulcherrimè excitatæ sunt, ut cum iis nullæ hactenus in Virginia conditæ comparari possint. His menstruo spacio absolutis, civitatem *Henrico* ampliorem augustioremq; omnibus aliis Coloniæ nostræ locis reddere sategit, quod quidem opus laudabiliter ac feliciter ipsi successit.

Tædiosum esset commemorare, quid quolibet die gestum structúmque, tantummodo ad quam perfectionem civitas ista sub meum inde discessum pertigerit, breviter edisseram. Ac primò quidem, quod ejus limites situmq; attinet, ad radices longiùs protuberantes editæ cujusdam regionis, cujus tres partes ingenti fluvio inundantur, condita est. Interjacet duo inter flumina, valido sepimento à se invicem segregata, quæ locum insulæ instar efficiunt. Præterea civitas ista tribus amplis, pulchrisq; plateis, quæ utrinque præclaris ædificiis ornatæ sunt distinguitur, templum habet satis augustum, cujus fundamentum ex ejusdem generis saxis probè jactum in longitudinem centum pedes, in latitudinem quinquaginta porrigitur: ut nihil de granariis, speculis aliisq; palatiis dicam. Ibidem, quo majus civitati addatur decus, in ora fluminis quinque propugnacula extructa cernas, in quibus primores nostræ nationis sedem sibi delegerunt, Colonis Anglicis non absimiles, qui ad majorem civitatis securitatem accuratas agunt excubias. Ad duas verò à civitate Leucas Anglicas in flumine præalti pali fortissimè impacti duo milliaria ambiunt, satis amplam agrorum partem circulo suo describentes, qui itidem speculatoribus atque excubitoribus certis creduntur.

Certè, si nullus in universa Colonia, præter hunc, munitus extaret locus, hicq; solus sartus tectusq; conservaretur, non dubito, quin suffecturus sit omnibus, etiamsi longè plures, quàm triennio hoc factum sit, ad Colonorum numerum supplendum ex Anglia submittantur. Ab altero latere civitas longiùs excurrit, quemadmodum etiam ab ea parte, qua flumen præterlabitur, palis revestita, adeóque munita est, ut nullos ampliores sumptus desideret. In primis regio, *Hopnifaid*, & *Coxtenthal* dicta, quæ ad duodecim Leucas Anglicas patet, quinque castellis contra omnem injuriam defenditur: quibus hæc indidimus nomina *Caritifort*, *Montmalado*, quo in loco eâdem operâ Nosocomium salubri editóque loco extructum est, *Elisabethfort*, *Fort Patientz*, in quo M. Vvittakerus suæ Ecclesiæ locum centum jugera palis circumsepta continentem delegit, ac domum Parochialem, *Rockehal* dictam extruxit.

Civitati huic, dictisq; propugnaculis cum summo Imperio præest Capitaneus Jacobus Davidis.

CAP. XI.

JAM ad situm, securitatesq; Novæ Bermudæ, cujus primordia ad proximè elapsum natalitiorum Christi festum referimus, progrediamur. Hæc civitas terrestri itinere quinque, aquatico verò quatuordecim milliaribus ab Henrico distat, quam anno præterito *Appamatukes* incoluerunt: cum autem multis nominibus nostris hominibus essent injurii, segetem prosternerent, nec parum illis damni darent: justè ad vindictam de illis sumendas Dominus Thomas Dalen excanduit. Itaque cum de loco intercipiendo, ibidemq; nova sede civitateq; condenda atque extruenda consilium iniisset, idem quoque brevi ad exitum deduxit, effectúmque dedit, novo loco novæ Barmudæ indito nomine. Ut verò nova istæc civitas sempiternis quibusdam gauderet privilegiis, ac proprio rerum frueretur dominio, aliquot milliarium agros sylvasq; ipsi addidit, in certos jugerum centenarios, superiorem, inferiorem, Rochthal, Vestscherlig, Digges, infimum, suo quemque nomine distinctos. Huncq; infimum locum omnium primò incolere cœpit, quod sementi faciendæ is maximè opportunus videretur. Ut verò regionem istam ab injuriis Indianorum vindicaret, flumen ad duo milliaria anglica sepimento ligneo communivit, ut agri, maximam partem frumenti feraces, absque ullo metu ad 8. milliaria possint excoli. Sepimento huic, jammodo ad ripam fluminis erecta adjacent domicilia, quæ si quis incolere cupiat, pro tenore literarum publicarum aut locato ea obtinere, aut proprietario jure sibi comparare poterit.

Proxima secundùm Dn. Thomam Dalenum in adornanda hac Colonia, laus Capitaneo Georgio Gardlejo, ejusq; legato, Thomæ Gates merito ascribitur, quorum in negociis obeundis industria maximè fuit conspicua.

Roch-Thal ad quatuor fermè milliaria palis crucis in modum transfixis communitur, ac domibus itidem transversim super palos extructis exornatur: hanc regionem hactenus suibus ac reliquis armentis nostris mancipavimus. Territorium ejus ad vigintileucas Anglicas protenditur. Incolatus hujus regionis etiamnum differtur, donec tonsuræ festum præterierit, ubi demum res necessariæ in ea extruentur. Quod enim de hoc loco faciendum decrevit Dominus Thomas Dalen, id facili quoque negocio perficiet. Certè propugnaculum hoc in loco contra Barbarorum aliorúmque exterorum insultus, quanticunque illi etiam sint, inexpugnabile poterit condere.

Ad quinquagesimum à dicta regione milliare, ab altero fluminis latere sita est Jacobopolis in insula quadam loco commodo, solo fertili: Insula isthæc ob aëris insalubritatem antea malè audierat: interim nos illam non minus cæteris salubri fœcundáque aura præditam animadvertimus. Nam, ut expertus loquar, agri hortiq; magno labore à nobis subacti, (quippe cùm sub adventum nostrum eos occuparemus, ac sepimento quodam circumdaremus, densis sylvis erant horridi) nunc adeò sunt fertiles, ut nulli loco quicquam concedant, quem plantandum serendum unquam suscepimus. Civitas hæc industria ac providentia D. Thomæ Gates, qui primariã in ea sedẽ obtinet.

obtinet, ad summam authoritatem, atque incrementa maxima pervenit. Idem cisternas duas pluviis excipiendis idoneas, duabus contignationibus elevatas, atque impluvio desuper instructas ibidem condidit, quemadmodum tria quoque granaria annonæ reponendæ necessaria, quæ in longitudinem centum viginti, in latitudinem quadraginta porriguntur pedes. Civitas hæc quam nuperrimè solido vallo, novoq; bastione, ubi tormenta majora defigi possunt, in occidentali latere est communita. Extra civitatem complura sunt extructa ædificia cùm duobus propugnaculis ligneis in quibus contra Barbarorum effusiones atq; excursiones assiduę aguntur excubiæ: præter alia certa domicilia agricolis assignata. Præest huic civitati Johannes Scarpe Capitanei Francisci Vvestii legatus, ac Reverendi Domini Lawardi frater.

CAP. XII.

A Jacobopoli, si porrò quadraginta milliaria progrediaris, juxta ostium fluminis, quàm proximè Pont Confort in Recougthan, duo elegantissima ac commodissima Castella, Henrico & Carolo dicata reperies, loco certè opportuno, ac solo maximè frumenti ferace, summaq; piscium, avium, ferarum, fructuumq;, unde incolæ partim, partim verò etiam ex annona publica aluntur, copia abundantè. Castella hæc totius Virginiæ facilè munitissima sunt; quæ contra externorum hostium insultus, quos quotidie subveremur, receptum nobis præbent tutissimum. Hisce summo cum imperio Capitaneus Georgius Vvebbe est præfectus.

Atque ita summo cum labore ac molestia hoc triennio compensare studuimus, quod superiori quadriennio malitiosè neglectum fuerat: ad eam enim quam diximus, perfectionem Coloniæ res modò devenere: jam jam optatus ille affulgebit dies, quo fructum nobis exantlati labores refundent uberrimum. Interim meliora indies ex Anglia speramus subsidia, quæ si nos spes fefellerit, complures præstantissimi Viri segniùs rem agent, aut planè manum ab opere retrahent. Sin verò nihil omnino impetrare potuerint, ac nihilominus in hisce regionibus subsistere coacti fuerint, necessitas ipsa flagitabit, ut summis viribus opus cœptum vel cum rerum fortunarumq; suarum impendio promoveant.

Hæc quàm brevissimè de moderno Virginiæ statu disserere visum fuit: complures autem circumstantias studio prætereundas censui, cum loci commoditates satis inde arguantur, quòd tantam primo intuitu de se frugem polliceatur. Imò datâ operâ à commemorandis ejus utilitatibus abstinui, quòd earum in aliis tractatibus abundè facta esset mentio.

Quod mineras metallicas attinet, præter viliores istas ferri ac vitrioli, certa spes longè meliorum perfectè sese exeruit. Neq; tamen mihi arrogo, ut prolixiùs iis de rebus scribam, cum alii id me multò possint rectiùs, qui metallis eruendis ac vestigandis operam suam addixerunt. Illud tantum addam, quod de insigni quæstu, qui ex Tabacco, serico ac bombycibus percipitur, compertum habeo.


Ac principio, meâ ipsius experientiâ edoctus illud de bonitate Tabacci affirmare possum, nullam sub sole reperiri regionem, quæ suavius, dulcius ac fortius Tabaccum proferat, atq; ager mea manu cultus multo cum fœnore mihi retulit, quum tamen primū ejus serendi specimen hoc anno ediderimus, neq; dum culturę ejus satis gnari simus,

exceptis paucis quibusdam, qui procul dubio vel hoc anno ejusmodi Tabaccum transmittent, ut de ejus bonitate dubitandi omnem Anglis scrupulum exemptum iri confidamus.

Sericum ejus generis, quale jam antea in Angliam devehendum curavimus, instar lini nostratis crescit. Hujus plantulas ab Indigenis acceptas Capitaneus Martinus, quòd istac cultura delectaretur, primus ad nos transtulit. Quod quidem ego vidi, elegans firmumq; satis visum est. Hoc anno magnam ejusmodi plantarum terræ mandavit copiam, specimen hujus serici brevi in Angliam transmissurus.

Bombyces, quorum propaginem nobis superiori hyeme Anglia suppeditavit, feliciter magnaq; copia, sub initium Martii, Aprilis, Maji, Junii succreverunt, ut eorum aliquot millia nere jam incipiant, reliqui fœcundissimè sese multiplicent. Utilitatem, quæ ex iis percipi possit, dies arguet. Illud constat, cùm ex Mori foliis potissimum vivant, ac feliciùs maturescant, nullam reperiri regionem, in qua majori copia, tantaq; elegantia proveniant, quàm in Virginia.

CAP. XIII.



CORONIDIS loco aliquid de variis itineribus Capitanei Argoli adjiciam, ac breviter, non tamen pro rei gestæ dignitate ac gravitate, demonstrabo, quantâ in colonia augenda, ac locis septentrionalibus detegendis industriam adhibuerit. Nam si summam ejus virtutem, fidemq; singularem meritis laudum encomiis exornare satagam, vereor ne eas culpa ingenii mei deteram obfuscemq; potiùs, quàm in lucem promam atq; augeam: præsertim cùm ad res suas describendas ingenio atq; solertia satis valeat. Per quidem lubenter me comitem itineris illi adjunxissem, quippe id votis expetiveram sæpiùs, nisi officii negocia domi me detinuissent. Ut summa laudum capita breviter saltem perstringam, certè fides atque industria satis eluxit, quòd duobus itineribus Coloniæ de 2300. frumenti modiis, quos granario publico intulit, præter annonam inter suos pro uniuscujusq; meritis distribuendam, abundè prospexit. Taceo nunc insignem utilitatem quæ ex pace ob Pokahuntam interceptam confirmata ad hasce regiones rediit. Nihil dico, de navibus vi ventorum collisis & corruptis, ipsius industriâ restauratis: nihil de novis navibus ipsius curâ affabrè extructis atq; adornatis, quarum usus nobis maximè fuit necessarius: absq; iis enim fuisset, omnibus itineribus impeditis, mercatorum negocia conquievissent, imo nemo ad alterum pedem efferre potuisset.

Quæ verò in Septentrionalibus locis versus *Sacadehoc*, ac trans portum Regalem Sanctæ Crucis, detegendis præstitit, silentio præterire nequeo; nisi enim in reditu complures res preciosas atq; utiles, ut vestimenta aliaq; ad victum necessaria attulisset, utique Colonia ad incitas rediisset.

Nec minoris beneficii laudem meretur in Gallis, qui in nostris coloniis nidulari, ac sese extructis aggeribus communire nitebantur, depellendis industria. Per eas enim, quas Gallis ademerat, naves, cômeatus omnis generis feliciter Jacobopolin deportatus, est. Quas ejus virtutes, curas, labores meritis præmiis compensari, dignisq; passim laudibus celebrari, æquum est.

Ipse Capitaneum Argolum fideliter referentem audivi, Gallos una expeditione, unicoq; navigio cum Indianis ad 8000. commerciorum libras commutasse, quem quæstũ nos deinceps commodiùs facere poterimus.

Illud

Illud certum est ante Capitanei Argoli adventum, Gallos à Salvadgis, seu incolis ejus loci summo in honore, ac semideorum instar habitos fuisse. Verùm postquam illos à nobis victos, finibusq; pulsos compererunt, illis relictis, ultrò amicitiam nostram expetiverunt: quæ certè res non exigui momenti est: querebantur enim, sibi à Capitaneo Argolo irreparabile illatum damnum, cùm Gallorum annuis commerciis, de rebus compluribus necessariis, quarum hactenus inopia laborassent, abundè ipsis fuerit prospectum. Tandem ita inter illos & Capitaneum Argolum convenit, ut quascunq; sive villosas, sive glabras haberent pelles, eæ Argolo reservarentur, qui quotannis semel ipsorum regionem adiens, variis secum allatis mercibus pelles istas commutaret. Conditio isthæc ipsis placere visa est: pollicebantur enim, quamvis etiam eò redirent, suaq; ipsis commercia offerret Galli, nihilominus tamen ipsi pelles integras reservatum iri. Quantum verò emolumenti inde ad Virginiæ patronos redire possit, ipsius Capitanei Argoli judicio, aliisq; considerandum relinquo.

Unum in hoc tractatu, data opera præterii, quomodo nimirum pax utrinq; coaluerit, quod ubi sequentibus capp. adjecero, præsentem discursum finiam.

CAP. XIV.

PAULO ante meum in Angliam reditum Dn. Thomas Dalenus de noua ad regem Powhatanem legatione mittenda consilium cepit: cumq; me ab ea haud videret alienum, ut suo tempore certiùs omnia referre possem, istud negocii mihi concredidit. Adjungebatur mihi in hoc itinere interpres, puer quidam Anglicus, Thomas Salvage, qui triennium antea in aula Powhatanis non sine regis gratia vixerat, atq; ita illorum linguam adprobè didicerat. Negocium cum Rege transigendum hoc erat potissimum, ut aliam adhuc à Rege filiam impetrarem. Pokahuntas enim jam antea in nostra erat potestate, quæ obsidis loco, cùm Regi ipsâ animâ atq; oculis esset charior, certissimam jam tum nobis spondebat pacem.

Itaq; decima quinta Maji die Bermuda summo manè discedens cum puero Anglico, ac duobus comitibus Indis, 60. milliaribus Anglicis, ad aulam Regis, quæ ostio fluminis Pamanukie, prope vicum Mazkot adjacet, perreximus. Priorem noctem in sylvis absq; ullius periculi metu transegimus, è regione vici istius in ripa commorantes. Ne verò improviso in Barbarorum incideremus manus, comitibus Indis injunxi, ut Canoam nacti, fluvium trajicerent, ac de adventu nostro Regem facerent certiorem. Canoa autem navigium quoddam est ex solida arbore instar cistæ excavatum. Comites fideliter mandata exequuntur, Regiq; indicant, trans flumen duos manere Anglorum legatos à supremo ipsorum Præside ad Powhatanem missos. Quod ubi ita esse compertum est, statim Canoa missa, quæ nos in terram transveheret. Ipse rex Powhatan in adversa fluminis ripa adventum nostrum præstolatus, humaniter nos salutabat: ac primo quidem puerum, quem statim agnoscebat his affatur verbis. Mi fili, inquit, adventus tuus mihi longè est jucundissimus: quartum jam annum animo planè à me alieno esse visus es. Indulseram quidem tibi, ut Paspahaen, quæ nunc Jacobopolis dicitur, quando etjamnum nostro dominio suberat, amicos visitatum proficisceretis: verùm ab isto tempore neutiquam ad me es reversus. Tu meus es filius, mihi à Capitaneo Neoporto, cùm adhuc in vivis esset subditus meus Nomantacke, donatus, quem etiam eam ob causam in Regis Jacobi ditionem ablegavi, ut certi quid de te cognosceret: sed ne is quidem re-

 diit

diit, licet interea temporis complures ex Anglia naves appulerint: quid de illo actum sit, planè ignoro. Tum ad me conversus, ne verbulum quidem ore promens, manum jugulo admovit, atque arctissimè collum undiq; apprehendit, ac si fauces mihi interclusurus esset; quod tamen ipsum haud temerè ausurum, certus eram. Mox ubi esset catenula ex unionibus contexta inquisivit: Cum de qua catenula loqueretur, me ignarum ostenderem. Ea, inquit, catenula, quam fratri meo Dn. Thomæ Daleno sub primum ipsius adventum honorarii loco obtuli: de qua idem mihi significandum curavit; si à tempore jam firmatæ pacis quempiam ex Anglis ad me legatum missurus esset, fore, ut is Catenula isthac redimitus legationis munus obiret; sin ea destitutus esset, integrum liberumq; mihi fore, si eum manibus post terga revinctum, re infecta, domum velim remittere. Certè Dominus Dalenus hoc ipsi significandum curaverat, ego autem nihil antea de catenula istac inaudieram: in mandatis etiam Dominus Dalenus puero suo dederat, ut catenulam mihi traderet, quod tamen is facere neglexerat. Mihi quidem initio aqua hærebat, ignaro, quid ad ista Regi commodè responderi possit: brevi tamen me expedivi: Haud me latere, quæ de legatione fratris sui retulerit, hanc verò genuinam illius esse mentem; si fortè res exigeret, ut extra ordinem legatus quidam Anglicus absque Indorum comitatu salvoq; conductu ad Regem mitteretur, is ad legationi suæ fidem faciendam catenulam gestare cogeretur: Sin verò Indis comitati ad Regem pergerent, quemadmodum à se jam modò factum, ut qui in comitatu suo duos ejus subditos habeant, quorum alteri, tanquam præcipuo regis Consiliario, res commissa minimè sit ignota, tum illorum indicio standum, nec catenula illa opus esse. Placuit respósum Regi, qui nos comiter in ædes suas, ad lapidis jactum à flumine dissitas deduxit. Quo ubi deventum, Rex lectulo non culcitris, sed vilibus Storeis constrato insedit: utrumq; latus claudebant uxores, formâ satis liberali & conspicua, quarum natu maxima vigesimum ætatis annum nondum excesserat, quam Reliquæ reginam suam salutabant. Hisce intus complebantur omnia: exteriùs aulæ centum sagittariorum additum erat præsidium, qui pharetras telis plenas ab humeris suspendunt, atque accuratas agunt excubias, quemadmodum satellites regios decet.

CAP. XV.

PRINCIPIO tubum Tabacco plenum, quem Pissimore nominant, Rex nobis apposuit. Hunc delibatum Rex ipsemet mihi porrexit; ego cum pro libitu ex eo degustassem, Regi tubum reddidi, quem sua ipsius manu à me recipere haudquaquam tergiversatus est. Postea exorsus, quid rerum Thomas Dalenus ageret, filiáne satis ex sententia valeret, quomodo novæ nuptiæ cecidissent, quid novus quidem, sed hactenus incognitus gener, ut placeret ei conjugium initum, ut inter se viverent, an mutuo etiam amore sese complecterentur? indagare cœpit. Ego Dalenum ex animi sententia valere: filiam sortè divinitus oblata contentam, solum neutiquam versuram respondi. Quæ verba, risu ex imo pectore deducto excipiens, admodùm sibi placere dixit. Age igitur, inquit, ac causam nec opinati tui adventus exprome. Tum ego, Negocium mihi commissum clam semotis arbitris agendum retuli, licere tamen, ut unum ex consiliariis, Pepaschicher dictum, itémq; alterum ex comitibus, cui itidem res conficienda jam satis innotuisset, secum retineret. Ilicò igitur mandatum, ut tam viri, quàm mulieres ex ædibus secederent, exceptis duabus reginis, quas ullam ob causam à Rege segregari nefas est. Remotis jam omnibus, Tandem igitur, Rex inquit, cujus rei causa huc veneris expone. Itaque per interpretem hæc ipsi curavi proponenda: Dominum Thomam Dalenum, fratrem ipsius, supremum in Virginia præsidem, in singularis amoris, pacisq; inviolabilis symbolon, salutem ipsi dicere plurimam: idq; reipsa testatum velle, dum dignum tanto Rege ipsi honorarium transmittat: duas nimirum prægrandes cupri laminas, quinque alborum ac cœruleorum coralliorum fila, quinq; ligneos pectines, decem hamos piscatorios, ac cultrorum par unum. Hæc omnia sigillatim ordine ipsi porrigebam, ut oportunè perlustrare ac considerare posset singula: Præterea mihi mandatum significabam: siquidem Rex certos quosdam viros ablegaret, eundem Dalenum ipsi insignis magnitudinis molarem lapidem porrò transmissurum. Munera hæc, cùm haudquaquam Regi displicuissent, ego sic pergere: Inaudita pulchritudo, ac perfectissima forma filiæ tuæ natu minimæ, quæ per universas ditionis tuæ regiones percrebuit, etiam ad aures fratris tui Domini Thomæ Daleni delata est: Itaque huc me ablegavit, ut pro fraterno amore, arctaq;, quæ inter vos intercedit, necessitudine te rogarem, filiam ad se mittere ne graveris, tum ut voluntati suæ honestæ aliqua ex parte satisfaciat, tum ut sororem aliquando invisat. Quod si formam moresq; ejus famæ respondere cognoverit, de quo tamē nullus dubitet omnino, si quidem bona cum tua gratia id impetrari possit, arctissimo nexu sibi tori sociam conjungere decrevit. Hæc ubi proponerem subinde sermones meos interrumpere ausus, vix post multas preces, ut ad finem usq; benevolas mihi præberet aures, posteáque mentem suam exponeret, persuaderi potuit. Causam postulati hanc esse dixi: Cùm amica firmaq; pax inter vos coaluerit, ac communi jure viventes unam quasi nationem efficiatis, Dominus meus spe ac fiducia, qua fruitur bona, existimavit hoc indissolubili amoris vinculo, ac naturali copula multò arctioris amicitiæ viam inire statuit, præsertim cum ultimum vitæ suæ diem hisce in regionibus claudere, ipsi animus sit. Non tantùm igitur certissimum hoc firmæ pacis pignus à vobis exigit, sed eâdem operâ, ad omnia sancta, rataq; habenda sese offert atq; obligat.

His dictis, cùm identidem me interpellasset, responsum petii, quod ille confestim quàm promptissimè non sine aliqua authoritatis opinione mihi reddidit.

Regis vestri salutem eo, quo par est, animo amico atq; benevolo accipio, quem etiam dum spiritus hos reget artus, cum meâ tum subditorum operâ integrum tuebor. Amoris missa pignora itidem æqui boniq; consulo, quamvis ipsius dignitati, illustríque nomini vix respondeant. Majora enim Neoporti fuere munera, quem ob id etiamnum unicè diligo, quòd uberiora liberalitatis ejus in me extent indicia. De filiæ matrimonio quod frater meus ambire visus est, sic res habet: Illam ante paucos dies magno cuidam inter nos Primati uxorem dedi, qui duos Roanvackarum modios (teretes sunt lapilli, cubiti longitudine, ex ostrearum conchis confecti, quibus pecuniæ loco utuntur: valent autem sex nummos Anglicos, aut nostratis monetæ sex circiter Cruciatos) mihi solvens, eam jam trium dierum itinere, secum abduxit. Ad hæc ego: Cùm de summis ipsius viribus, formidandoq; nomine mihi satis constet, siquidem fratri hac in parte gratificari velit, facilè nuptias istas irritas fieri, duos Roanvackarum modios refundi, filiam absq; ulla injusti specie revocari posse: præsertim cum completo nondum exactè anno ætatis duodecimo, viro necdum matura sit. Contrà pollicebar, siquidem votis meis annueret, præter firmiorem fœderis pacisq; oppignorationem, duplo majus precium, sive teretes lapillos, sive cupri laminas, sagittas, aliasq; res summè utiles ac necessarias consideret, ipsi à nobis persolutum iri.

Sed regessit ille: Filiam istam suo ipsius corpore sibi cariorem esse, & quamvis numerosam aleret prolem, istam tamen ex omnibus liberis sibi esse carissimam: cujus aspectu si non assiduè frueretur, brevi ultimum vitæ suæ adfuturum terminum: cùm verò, si nostræ voluntati filiam permitteret, id minimè obtinere posset, omninò sibi fixum ac statum manere, ne quacunque tandem etiam ratione filia in nostrorum manus deveniret, quicquid inde suboriretur mali. Hoc velle ut fratri suo renunciem, nec ulteriùs rem urgendo ipsi molestus sim.

Promissis enim, inquit, contentus, ulteriorem amicitiæ assecurationem non desidero; ipse unam ex meis filiabus certi amoris pignus habet, quod dum vita fruetur, ipsi erit satis: sin illa fato suo fungatur, aliam ex mea sobole obtinebit: si superat, vivítque ac communi aura vescitur, vix fraternè mecum Rex vester egerit, qui uno tempore duobus liberis defraudare conetur. Porrò etiamsi nullum pacis à me haberet obsidem, illud de me persuasum habeat: nullas injurias mihi meisq; ab Anglis illatas tantas fore, ut rupto fœdere arma unquam in vestram gentem expediturus sim. Jam annorum, armorumq; satur, quod superest vitæ, quietus transigam. Injuriarum vestrarum pertæsus, longiùs recessero potiùs, cum regni mei limites ultra plus pateant. His fratri meo abundè satisfactum iri existimo. Tu verò cum ex itinere defessus sis, mea autem lumina somnum ament, finem hisce imponamus.

CAP. XVI.

ITaque accito ex suis uno, ut panes aliquot nobis apponeret, mandabat, tenuem apparatum excusans, ob nec-opinatum adventum nostrum. Quoniam verò apud illos obtinet, ut panem postremum omnium ciborum sumant, panes in duobus ingentibus cophinis ligneis, qui modium integrum explerent, afferebantur, rotundi omnes in formam pilæ palmaris. De quibus cùm paululum degustassemus, reliquos inter astantem ac strenuè esurientem turbam distribuimus.

Peractis jam epulis vitrum ingens, ac trium mensurarum capax, plenum vino Hispanico, quod ipsi ante biennium à Capitaneo Neoporto donatum hactenus tanta diligentia asservarat, ut vix quartam mensuræ partem ex eo depromeret, afferri jussit. De hoc vino unicuiq; nostrum in ampla quadam concha ostreacea ad tria cochlearia propinabat. Quo demum facto, uni ex suis præcepit, ut in domum quandam nos deduceret, ubi per noctem istam quieti indulgeremus. Vix dimidiam horam in ea commorati, usque adeò à pulicibus infestati sumus, ut diutiùs ibidem subsistere integrum haud videretur, sed egressi sub asseribus quibusdam ligneis, storeæ incubantes, noctem istam, transigeremus.

Albescente jam die, cùm somnus oculos jam fugerat, rex Powhatan ipse ad nos venit, de statu nostro percontaturus. Paulò post in ædes suas nos deduxit, ubi ad sumendum jentaculum stupendæ magnitudinis patina pisis, fabisq; indicis, promiscuè decoctis plena, cum ingenti panum cophino, qui duodecim virorum latrantem stomachum sedarent, erat apposita. Post horæ unius intervallum recens elixi pisces, mox ostreæ, cancri, carabiq; tosti afferebantur. Interea quosdam ex suis in sylvas proximas, ut feras, gallinas Indicas, aliáque animalcula ac volucres, quæ magnâ copiâ istic vagantur, indagarent, venatum dimiserat: hi decimam circiter reversi, tres capreas, cervum unum, genus ferinæ opimum, imò optimum, duos prægrandes Gallos Indicos ceperant, quæ omnia eodem die in cibum præparata, in cœna penitus absumebantur, ut ne, quod fabam referret, maneret reliquum. Accidit autem, ut, quo ibi subsistebam tempore, Anglus quidam, ante triennium in extructione Henricopoleos ab Indianis interceptus, cui Vvilhelmo Purckero nomen, magno suo commodo interveniret. Certè corporis vestiumq; habitu Indianis exactè conformis erat, ut dignoscere eum haud unquam potuissem, nisi à puero quodam Anglum eum esse, fuissem admonitus.

Is, me viso, supra modum lætabatur. Licet enim sæpius studiosè de ipso essemus percontati, id semper ab Indis responsum tuleramus, illum lethali correptum morbo in vivis esse desiisse; in quo nos hactenus acquiescere oportuerat. Tum verò per omnia sacra me obtestatur, operam dare velim, quo sibi liber ad suos reditus à Rege concedatur. Cùm ipsi fidem meam hac in re obstrinxissem, confestim ad Povvhatanem properans illi rem omnem exposui; in primis, hactenus quidem famam sparsam, ac si vir iste ex morbo decessisset; cùm verò longè aliter se res habeat, ac vir iste vivus valensq; sit, necessitatem mihi incumbere summam, ut illum quàm primum ad socios mecum reducam. Ubi enim fratri ipsius innotuerit, Virum istum hîc à me visum ac relictum esse, alia statim legatio ad ipsum deposcendum subsequetur. Povvhatan ægriùs isthæc ferens: una, inquit, ex filiab⁹ meis penes vos est, quod æquo animo hactenus sanè tuli: vos verò ferre neutiquã potestis, ut unicus iste Anglus, quẽ in mea habeo potestate, mecum remaneat:

Hinc tanta vos urget necessitas, ut vel confestim domum abducendus, vel pacta fœderáque violanda sint: Agite ergo, quandoquidem tanta vobis incumbit necessitas, abeat vobiscum Anglus ille, sed domi maneant satellites mei, quos incolumitatis ergò vobis adjungere decreveram: ipsi, si quid in via periculi obvenerit, videritis.

Tum ego, me potiùs absque illo iturum esse dixi, licet viæ satis gnarus essem, nec ullum periculum extimescerem. Siquidem salvo atque incolumi domum redire non daretur, id Regi ejusq; subditis, vindictam exposcentibus Anglis, luendum fore; imò fratri suo Regiq; adeò ipsi haud leviculam suspicionem de animo ejus subdubitandi allatum iri, si nullo aut certè exiguo personæ meæ respectu habito, absque conductu salvo dimitterer. Rex ad illa nihil regerens, sed animo turbato à me discedens, ad cœnæ usque tempus ne verbulo quidem me dignatus est: tum verò portiuncula ciborum, ipsi in cœnam præparatorum, me donavit.

Inde semper eodem honore, eadem, ut antea, gratia me prosecutus est, dimissionis verò meæ ne verbulo quidem meminit, donec sub mediam noctem me puerúmque meum invisens, ex somno expergefaceret ac mentem suam nobis declararet: Pepaschecharem nimirum cum alio quodam ex suis sequenti luce domum nos reducturos: illud verò serio mihi injungebat, ut ad fratrem suum reversus, de certis quibusdam rebus propediem sibi transmittendis ipsum commonefacerem. Erant hæc decem Cupri Laminę, novacula una, uncus ferreus aucupio idoneus, lapis molaris tantæ magnitudinis, ut à quatuor aut quinque viris commodè asportari posset, hunc enim rebus suis sufficere. Præterea flagitabat duos eburneos pectines, quod ejusmodi res à Capitaneo Neoporto semper obtinuisset. Ligneos enim pectines, à quodam ex suis, affabrè satis incidi posse. Adhæc centum hamos, aut siquidem sine detrimento eo carere posset integrum apparatum piscatorium: denique felem canémque unum. Quæ omnia ubi bona cum fratris sui gratia impetrasset, daturum se operam, ut remissis preciosis aliquot pellibus, quæ necdum in promptu sint, gratum suum animum declararet. Pelles quidem istas nondum in promptu esse asserebat, verum illarum ingentem copiam certo quodam in loco asservari intellexeram, quas tamen diffidentia ac odio quodam nostri extimulatus mittere detrectabat, donec rerum suarum satageret, ac mercium nostrarum usumfructum percepisset.

CAP.

CAP. XVII.

POSTEAQUAM negocia isthęc mihi conficienda commisisset, sub discessum meum denuò me interrogat: num etiam rerum mihi demandatarum omnium & singularum satis essem memor: ac responso nudo non contentus, ut rerum esset certior, subinde singula me repetere; ac veritus ne quid eorum per oblivionem mihi excideret, productis pugillaribus eadem à me inscribi voluit. Pugillares isti eleganter erant compacti, ut cùm nulli Regis inservirent usui, mihi eos dono dari expeterem. Verùm ille hos admodum charos sibi dixit, ut pote quos externis ad sese venientibus honoris ergo commonstrare soleat. Itaq; speciatim singula in adversaria mea retuli, quod ubi vidit æquo animo à nobis discessit.

Mane summo expergefacti ad iter nos accinximus: Ante abitum verò jentaculum unà cum Rege nobis capiendum fuit: quod erat Gallina Indica probè elixa. Postea pro viatico integram gallinam Turcicam, præter alias ciborum reliquias ac tres panum cophinos nobis obtulit. Cùm jam in procinctu staremus, unicuiq; nostrum dextrè elaboratam pellem cervinam, ut albedine ipsam quoque nivem superaret, donavit: ac totidem genero filiæq; suæ transmisit. Tandem me interrogabat, an commissa negocia etiamnum memoria tenerem, quæ cum ordine recensendo minimè mihi effluxisse ostenderem; Utique fratri suo abundè satisfactum esse, se sperare dixit: sin minùs, trium dierum itinere progressurum ulteriùs, nec ullum unquam Anglum in conspectum suum admissurum. Alias, quotiescunque legatos mittere visum fuerit, illos honorificè exceptum, ac pro virili postulatis eorum satisfactum iri. His dictis sua manu ad latus fluminis nos deduxit, atque ita circiter decimam extremum vale nobis dicens discessit: nos verò nocte insequenti Bermudam feliciter rediimus.

Hunc discursum ea, qua potui, pró materia rei, brevitate huc inserendum censui, ut constaret omnibus quàm, cautus in observandis pacis conditionibus sit Powhatan cúmque plures id ex me scire flagitarint, non dubito, quin iis, quorum maximi interest, opera hæc mea grata sit futura. Animus certè Regis ex responso ejus ad postulata, ut & ex commeatu per regiones ipsius liberrimo satis patet. Quamvis enim palantes barbari nobis obviam procederent, nullo tamen damno nos afficiebant: cũ antea nihil ipsis fuisset jucundius, quàm vindictã de nobis sumerea, atq; quod animum crudelitatis ac malitiæ cupidum explere potuisset. Itaque cùm jam tuta sint omnia, procul dubio, brevi tempore singulares Coloniæ nostræ successus atque egregia incrementa elucescent: quæ vel mihi ipsi, licet maximas Deo agam gratias, quod in hisce regionibus, quas vel adire pleriq; verentur, sedem mihi fixam destinarit: mihi ipsi, inquam animum addere poterunt, vel ad tertiam expeditionem eò loci suscipiendam, siquidem præter omnium opinionem, Deus in conversione miserrimæ istius nationis gloriam suam illustrari voluerit, ex quâ, ut ex reliquis Indorum gentibus, aliquos ad æternam salutem electos nullus dubito. Quin beatos illos prædico, quorum operâ ad miseros istos homines luce veritatis collustrandos, uti decreverit.

Spe insuper ducor bona, omnes honestatis avidos, ad opem miseris ferendam, hac mea oratione tanquam classico excitatum iri. Me quod attinet, ut integrum jam quinquennium operam meam Coloniæ isti promovendæ addixi, sic etiamnum, dummodo commodæ occasiones sese dederint, me meáque omnia ad tam pias causas offero, vel alios eò missurus, vel ipse, siquidem id necessitas flagitet, ad negocia obeunda rediturus. Hisce

Vale & fruere.

VERA





VERA AC SOLIDA DESCRIPTIO NAVIGATIONIS IN NOVAM ANGLIAM, QUÆ AMERICÆ PARS IN SEPTENTRIONALI Indiæ plaga sita est, sub Capitaneo Johanne Schmidt, Equite ac Admirali ejusdem regionis.


CUI ADDITUS.

Brevis Discursus, qua ratione modò dictus Capitaneus, in secunda expeditione à Gallis captus, tandemque liberatus sit: adhæc quis modernus Novæ Angliæ sit status: Quæ omnia Anno 1616. contigerunt.

PRÆFATIO

AD

AMPLISSIMOS, PRUDENTISSIMOS VIROS, NOVÆ ANGLIÆ IN CIVITATIBUS, LONDINO, BRISCOVIA, EXCETRA, PLEIMUTHO, DARTMUTHO, BASTABLIA, TOTNEISA &c. aliisque totius regni Angliæ portibus atque emporiis, Patronos ac Commissarios, Dominos atque amicos suos carissimos.



SI parva illa animalcula formicæ atque apiculæ solerti labore atque industria, victum atque alimenta sibi necessaria comparant: multò magis id ab homine requiritur: imò si ignavum fucos pecus, qui laborum præmia suffurantur, quàm longissimè profligant atque acerrimè persequuntur: nec homines eam ob causam reprehendi debent. Certè in alvearius, in quibus major ignavorum fucorum, quàm solertium apicularum cernitur copia, parùm reperitur mellis. Ita quoque regio ista infelix est, quæ plures ignavos ventres, quàm sedulas manus alere cogitur. Cùm ergo horum insectorum ab omnibus laudetur industria, meum quoque studium à nemine improbari, sed excusari posse jure existimo. Quamvis fateri cogar, majus operæ precium me facturum fuisse, si quæ dico, factis probem potiùs, quàm quæ sentio scriptis prodam. Quod si amplissimis opibus instructus domũ rediissem, nullus mihi imputaretur error: nunc verò, cùm pisces, prout oblati fuerunt, boni consulere coactus fuerim vituperium mihi sustinendum est. At vellem, invidi mei adeò parati essent, loculos suos expendere; atque ego vitam fortunasque meas impendere paratus sum: aut tam studiosè sumptus ferrent, atque usumfructum meorum laborum percipere satagunt: tum certè nullus dubitarem, (si quidem Deo visum, me denuo Novam Angliam adire, ac re salva in patriam redire) quin plura reipsa præstiturus, quàm verbis hactenus promiserim, atque ita abundè promissis meis satisfacturus essem. Neque verò


ego primus sum, qui per proditionem à piratis interceptus sit. Quatuor isti probè armati milites, vel summos Heroas, Samsonem, Herculem, Alexandrum Magnum aggredi, ac in potestatem suam redigere potuissent. Nec est, quod quisquam, qui quidem maris aleam periclitari velit, ab ejusmodi casibus se immunem putet. Qui eandem mecum fortunam experiri nolit, huic, ut domi post fornacem desideat, suaserim. Ne verò ejus calumniæ ac criminationes, cœptum meum, manumque auxiliarem, quam unicè expeto, fortè impedirent, pauca hæc literis consignavi, quæ tamen non ante, quàm ex Nova Anglia incolumis domum rediissem, publici juris facere decreveram. Si quis verò, quod crebros de piscatura sermones injicio, me eam ob causam insignem Piscatorem æstimet; insignem mihi injuriam fecerit, cùm ea de re, ne per somnium quidem in mentem mihi unquam venerit. Novi enim quantum æra lupinis distent; novi annulum aureum à grano hordeaceo æquè atque aurifaber, discernere. Piscatus interim novis istis commerciis non impedietur, sed potiùs promovebitur. Quicquid sit, rem deliberandam vobis propono, simulque locum indico commodum, in vestris finibus, sub vestra jurisdictione situm, quò opportunè Colonia nova deduci possit: Idque ut faciatis, non tantùm vires, facultas, authoritas, sed media quoque atque auxilia vobis suppetunt. Quid quod hac ratione terras hactenus incognitas uberiùs explorare, ac manifestare poteritis. In primis Regiæ majestatis Senatorum consilium, dein modò dictarum civitatum, qui eximium hoc opus sua ope promovere dignatæ sunt, aliarumque, quæ eandem aleam subire volent judicium ac responsum expeto atque expecto. Quia verò animadverti, quosdam relatione mea, veritati planè congrua, malè abuti; hoc qualicunq; scripto famam atque existimationem meam tueri coactus sum: Nec spero, quemquam fore, qui nullius adeò precii me Factorem existimet, ut rerum à me gestarum rationes ac causas reddere nequeam.

Vobis

addictissimus

Johannes Schmit.


CATA-



CATALOGUS NOMINUM CUM ANTIQUORUM, TUM RECENTIUM, QUIBUS OPPIDA &loca Novæ Angliæ jam modò à Sereniſſimo Principe CAROLO nuncupata ſunt.

Nomina oppidorum, ac locorum.

Antiqua	Recentia
Cape Cod	Cape James, ſeu Jacobi promontorium.
Chawum	Barwick
Accomack	Plimuthum.
Sagoquas	Oxonia
Maſſachuſets Mount	Chevithil, mons,
Maſſachuſets River	Carolus fluvius.
Toſaut	Fawmouthum.
Regio nondum cognita	Briſtovv.
Naëmkek	Baſtable
Cape Trapigzanda	Annæ promontorium.
Aggawom	Southamptonia.
Smiti Inſulæ	Smiti inſula.
Paſſataquas	Hulla.
Accomminticus	Boſton.
Saſſanowes mount	Snodon hill, mons,
Sowocatuck	Ipſvvitch.
Bahana	Dartmouthum, Santvvich.
Aucociſcos mount	Schootes hil, mons,
Aucociſco	The Baſe.
Aumougheawen	Cambridge.
Kinebeck	Edenburgum.
Sagadahock	Lethum.
Pemmæquid	S. Jobannis Civitas.
Monahigan	Barnes iuſulæ.
Segocket.	Norvvich.
Matinnack	Vvillovvbiis Inſulæ.
Metinnicus	Hoglons Inſulæ.
Mecadacut	Dunbarton.
Pennobſcot	Aberdon
Nusket	Lovvmond.



GENUINA AC SOLIDA

NOVÆ ANGLIÆ DESCRIPTIO CONSIGNATA OPERA AC STUDIO

Capitanei Johannis Schmidii.



OSTEAQUAM mense Aprili, Anni 1614. Londino duabus navibus, quæ ad paucos quosdam mercatores pertinebant, solvissem; accidit, ut post haut ita longum temporis intervallum in Novam Angliam, quandam Americæ partem, prope Monachiggam insulam sub 43½. gradu sitam, feliciter pertingerem. Animus nobis erat in regione ista, Balænas capere, atque auri cupriq; mineras vestigare: quod si hoc non succederet, ultimum in piscibus pellibusq; comparandis refugium habebamus, ut, prout caderet alea, extra damni periculum essemus constituti. Magnum certè ex Balænarum captura percipi potest emolumentum: harum ingentem conspeximus numerum, nec parum temporis iis comprehendendis impendimus, nec ullam tamen capere aut trucidare potuimus. Erant autem ex Jubartarum seu spuriarum, non verarum Balænarum genere, quæ pinnas, ossa, atque adipem, ut quidem speraveramus, suppeditant. Quod auri ærisq; fodinas attinet, rectius utiq; sibi consuluisset Nauclerus noster, si aliam ad regionem, in qua ejusmodi divitiæ reperiuntur, cursum suum direxisset; verùm is harum rerum planè ignarus erat. Itaq; piscium pelliumq; instituta negociatio, qui ultimus navigationis nostræ erat scopus. Quia autem seriùs adveneramus, ac longiorem moram in balænis capiendis traxeramus, nobis nec animadvertentibus, tempus piscandi commodissimum jam abierat. Putabamus enim omne tempus oportunum fore, quod eventus longè secus se habere demonstravit. Nam sub medium mensis Junii optima piscandi occasio jam diffluxit: licet, mense Julio & Augusto, etiam quidam capiantur, tamen onerandis navibus, sumptibusq;, ut æquum est, refundendis neutiquam sufficiunt. Ex arefactis 40000. circiter, ex salsis piscibus 7000. in navem intulimus. Dum igitur nautæ piscibus insidiarentur, mihi cum octo aut novem aliis à navi abesse licuit. Itaq; parvula quadam scapha hac illacq; littus prætervecti, nullius ferè precii merces, utpote 11000. fibrarum, 100. martium, totidemq; lutrarum pelles, easq; intra viginti Leucas Gallicas comparavimus. Ulteriùs orientem atq; occidentem versus progressi: in oriente quidem rem facere haud potuimus, quod vicinos haberent Gallos, qui longè præstantiores merces ipsis advehebant. Ad hæc in portu nobis opposito Domini Francisci Pophani navis hærebat, qui jam diu contracta cum incolis familiaritate, in ista regione negociatus de rebus necessariis illis prospexerat. Ad quadraginta verò milliaria occidentem versus,

versus duę aliæ naves, eodem, quo nos ibi morabamur, tempore, ex cōmerciis suis quæstum fecerant uberrimum. Cùm igitur nihil amplius lucri ad nos rediturum videremus, ego quidem cum cymba quadam pellibus, adipe ac piscibus onustâ in Angliam iter relegi, quam sextò, à discessu nostro, mense feliciter attigi.

Optimi generis pisces statim divenditi sunt, centenarius, quinque Starlingiorum libris: qui verò vitium aliquod fecerant, 3. libris 50. solidis. Altera navis, piscibus arefactis onusta, occasionem in Hispaniam eundi præstolabatur, quorum quintale (centenarius autem duo cum dimidio Quintalia continet) quadraginta Regalibus nummis, ut quidem nautæ retulerunt, fuit venundatum.

Nunc ad regionis descriptionem accedamus. Nova Anglia, ea Americæ pars est, quæ in mari Atlantico è regione Novæ Albionis in Australi Oceano sita, à nobilissimo Domino Francisco Drako, in suo totius orbis ambitu primùm detecta est. Is autē hanc regionem Novam Angliā indigetavit, quod amplitudine Regno Angliæ responderet. Nova Frācia ab hac regione versus Septentrionem, Virginia versus meridiem sita est, ut & reliquæ finitimæ provincię, Nova Granata, Hispania, Andelosia, totaq; Occidentalis India. Sæpiùs rogatus sum de statu, bonitate atq; amplitudine vastissimæ hujus regionis, qua ratione tamdiu incognita latuerit, nec ullo præsidio ab Hispanis munita fuerit, aliáque hujusmodi. De his ego breviter meam exponam sententiam: veniam autem mihi dabit benevolus lector, si fortè an mea in iis recensendis simplicitas, tædium aliquod ipsi attulerit, quippe imperitis ac simplicibus hac in parte satisfacere volui.

Florida, finibus Indianorum quàm proximè adjacet, quam olim Galli magno suo damno insidere conati sunt. Amplitudine hęc regio, universam Angliam, Scotiam, Hyberniam ac Franciam longè superat, quamvis de ea Christianis parum constaret, nisi Clarissimi Hispani Ferdinandi de Soto mira industria, descriptione sua ad hasce terras investigandas facem aliquo modo prætulisset.

Virginia non est insula (ut multi existimant,) sed quędam Continentis pars, Floridę finitima, cujus limites absq; ullius Christiani incolę detrimento longiùs prorogari possunt: quod unicuiq; Regię majestatis indultu atq; privilegio permissum est. A 30. gradu, usq; ad 45. quousq; latera maris à meridionali Occidentis, versus Septentrionalem Orientis plagam porriguntur, 1500. circiter numerantur: si verò fluminis ductū sequaris numerus ultra 2000. milliaria excrescet. Ad 20 milliaria, intra regionem, nobilissimus totius orę portus, Chisapeak dictus, sese offert, cui Colonia adjacet. Inter utramq; verò tantum interjacet spacium, ut trecentis hominum millibus hospitio excipiēdis, alendisque sufficiat. De his consule tabulam Geographicam, sub meo nomine typis editā. Porrò versus meridiem protenditur ea pars, quæ sumptibus Gualtheri Ralegi per Rudolphum Lancium, ac doctissimum Mathematicum D. Thomam Heryotum detecta est.

Versus Septentrionem ad sex septémve gradus fluvius Sadagahok cernitur, ad quē Colonia Occidentalis per Reverendum omnium virtutum splendore conspicuum virum, D. Johannem Popphamum, supremum Angliæ judicē deducta est. Extat typis impressa Capitanei Bartholomæi Gosnouldi de Elisabethę insulis, item alia de Pēmaquid Capitanei Vvaymothi relatio: quorum diligentiâ posteritati probè consultum est.

Illud igitur tenendum, ex 2000 supradictis milliaribus, plusquàm dimidiam partē etiamnum latére incognitam, ac tantùm latera finesq; maritimos istiùs regionis hactenus nobis innotuisse Quod præcipua optimaq; loca attinet, necdū ea cognoscere licuit, exceptis iis, quæ circa sinum Chisapeach, & fluvium Sagadahok reperiuntur.

Tantummodo obiter angulos amplissimæ hujus ditionis percurrimus, qui ad navigabilem fluvium usque pontenduntur. Quot verò leucarum millia adhuc restant, de quibus plura indicare non possumus, quàm si fortè peregrinus aliquis, inter Angliam Franciamq; trajiciens, portus naviumq; stationes ac fluviorum ductus subnotarit. Ex quibus patet, toto cœlo errare illos, qui putant, quam primum aliquis Virginiam adierit, illum, quid Virginia sit, statim exploratum habere. Ne Hispanus quidem omnium istarum regionum, quæ territorio ipsius subjacent, perfectam habet notitiam. Columbus, Cortesius, Pizarrus, Sotus, Magellanus aliiq; Novi orbis repertores complures annos iis perlustrandis impenderunt, nec centesimam ejus partem potuerunt explorare.

Ut vero ad institutum nostrum redeamus, illa regionis pars, quam novam Angliam, appellamus, intra 41. & 45. gradum sita est, ea autem, de qua hic nobis sermo est, à Pennobscot rectà linea ad Cape Cod. 75. milliaribus porrigitur. Intra hos limites ad minimum quadraginta loca ædificiis extruendis perquàm idonea in littore deprehendi. præterea 25. commodissimos portus, adhæc ducentas ferè insulas proceris arboribus consitas offendi. Quantum verò temporis mihi fuisset insumendum, si omnia accuratè ac pro rei necessitate contemplari ac perlustrare debuissem.

Potissimus versus Septentrionem locus, in quo nostræ quoq; coloniæ sedem elegimus est Pennobscot: Meridiem versus juxta maris latera, ac fluviorum decursus, invenimus Medacacut, Segockat, Pemmaquid, Nusconcus, Kenebeck, Sagadahok, & Aumoughcawgen: Has regiones incolunt, populi ex Segetago, Paghhuntanuck, Pocopassun, Taughtanakagnet, Vvarbigganus, Massaque, Maskerosqueck, Vvaweigweck, Mosboguen, Vvakoogo, Pasharanack &c. Huc pertinent etiam regiones Aucocisco, Accominticus, Passataquach, Aggawom, & Naëmbeck &c. Omnes hi, quantum mihi cognoscere licuit, linguâ parùm discrepant, idem omnibus vitæ ac reipublicæ modus, pleriq; tamen suo vivunt arbitrio, præcipuum tamen locum obtinent inter primores, Bashabes ex Pennobscot oriundi.

Proximè his adjacent, duæ amœnæ insulæ, si rectè memini, Matthahunts dictæ: Hæ fructibus, hortis agrisq; nobiles integrũ milliare à flumine in mare excurrunt. Postea sequuntur Totât, Massachuset, Pocapawmet, Quonahassit, Sagoquas, Nahapassumkeck, Topecut, Seccasaw, Totheet, Nasnocomacack, Accomach, Chawũ: ac demũ Cape Cod. His accedit Pavvmet, atq; Navvset, ejusdem originis ac linguæ cum Chavvumensibus. Reliqui appellantur Massachusets, alterius gentis, linguæ ac morum. Propter negociationes ac cõmercia, ut & domicilia, certas habẽt civitates, ac distinctos populos: atq; (ut ipsi asserunt, vel 20. mansiones totidẽq; fluvios numerãt, qui quã longissimè in interiora regionis usq; ad limites viarũ, fluminũ, ipsiusq; adeò oceani, ubi fibras lutrasq; capiũt, extẽduntur. A Pennobscot, usq; ad Sagadahock latus maris in montes ac colles quos dã assurgit, insulę verò ex saxosis rupibus constant, quę tamen omnis generis arboribus ad ędes, naves, cymbasq; extruendas idoneis obteguntur, atq; incredibilem copiam variorũ piscium, volucrium, fructuumq; optimorum in usum victumq; hominum suppeditant.

Inter Sagadahock, & Sovvokaduch duo aut ad summũ tres reperiuntur sinus: inter hanc verò & Cape Cod, cõplures: in primis littus marinũ à Massachusez, mox altis atque arenosis ripis, mox latis longisq; tumulis in mare protuberãtibus est distinctũ, in quibus varii generis lapides, quadrati ad extruẽdas, scãdulę ad tegẽdas ędes, itẽ glabri ad fornaces fusorias, in quibus vitrum ferrũq; liquatur, cõficiẽdas, reperiũtur. Hęc pars quã proximè accedit litt⁹ marinũ prope *Devon Shire*. Crediderim etiã plerosq; hujus orę lapides, instar calcis, uri atq; usurpari posse. Adhæc passim ferri chalybisq; mineræ, sese exerunt.

Certè

Certè si fabri idonei,atq; artifices periti mihi ad manus essent,brevi temporis spacio, omnis generis naves extruerem,cùm omnia ad hanc rem necessaria,decem aut 14. milliarium itinere comportari possint.

Ingenti cum admiratione arenosum littus,præruptos scopulos, ac rupes sumus intuiti,cum iis in locis nihilominus hortos agrosq; ab hominibus sanis, robustis ac bene constitutis probè excultos deprehenderemus:adhæc lignorum ibidem provenientium moles,piscium magnitudo,saluberrima aëris temperies (quippe ex viginti quinque viris duo duntaxat infirma utebantur valetudine,qui tamen,antequam eò proficiscerentur valetudinarii erant, unde non mirum,cum lectis cibisq; destitueremur, quòd recidivam passi sint) locum cùm ob sanitatem,tum ob fertilitatem,maximè commendant. Dummodo media ad coloniam in hasce oras deducendam commoda sese offerrent,ego certè locum istum omnibus aliis præferrem,ac si necessitas id requireret,coloniam meis sumptibus alerem.

Præcipua negociatio,donec aliæ merces comparentur,ex piscibus instituenda erit, quæ mercatura licet in speciem vilis atq; abjecta esse videatur, tamen si diligenter eam persequaris , nec laborum ac molestiarum pertæsus fueris, fructum quæstumq; inde percipies longè uberrimum. Quis enim nescit Hollandos ab exiguis initiis, mercaturæ piscariæ potissimum beneficio, quam immensis sumptibus, duris laboribus alto mari inter horrendas sæpe tempestates prosequuti sunt, in tantum tamq; potentem populũ excrevisse? An non per ejusmodi abjectarum mercium distractionem, ac cum Hanseaticis civitatibus commutationem,quę ipsis ligna,linum,picem siccam ac liquidam,cannabem,coria,& id generis alia reddiderunt,eo potentiæ,virium ac divitiarum pervenerunt,ut nulli totius Europę reipublicæ quicquam concedant? Ut taceam præclaras urbes,opimos pagos,fortissima propugnacula,navium merciumq; omnis generis,auri,argenti,unionum,margaritarum,serici,holoserici,aurati & similium abundantiam, quas non in Indias Orientales & Occidentales,imò per totius orbis ambitum instituunt navigationes? Quas non multis ab annis in despectum ac detrimentũ potentissimi totius orbis domini,terra mariq; suscipiunt expeditiones? Certè hæc cõtempta piscium negociatio maximum ad istas res gerendas momentum attulit. Alii alia proferãt subsidia: piscatura ipsorum fuit minera,oceanus auri argentiq; fodina,qui eos ad tantum fastigiũ extulit,ut jam in re nautica miraculo solertiæ, atq; exemplo perfectionis sint omnibus aliis nationibus. Quæstus ex piscatu primum illud mobile est,quod reliquas sphæras ad abundantiæ,potentiæ,honoris atq; admirationis apicẽ secum abripit. Haleces, Coddi, Aselli ac Lingii triplex ista negociatio est,ex qua tantas divitias totq; naves uti jam videre est,lucrati sunt,quippe cũ inde(quod diligentiùs perpendi velim,) quotannis ad minimum sesqui millionẽ librarum Starlingicarum,id est 15000000. florenos Hollandicos percipiant. Præterea constat,illos naturâ sic comparatos,ut nihil ferè sub sole sit, ex cujus permutatione non lucrum aliquod captent.

Quot librarum milia ex Sturiis, Caviaris ac Straidis Anglicis acquirunt Hamburgenses,ac reliquæ civitates Anseaticæ ? Hispani quotannis ad promontorium Candidum quinquaginta ablegant naves,quę Porgesios,Mulletos,ac puttardos advehant.

Ex nuperrimè detectis regionibus octingentę quotannis naves vilibus ac macilenta cute piscibus,quos Belgæ atq; Angli Arme Jann & Corfisch nominant: quæstus verò, qui inde redundat,ad minimum ultra quadringenties mille Starlingiorũ libras exurgit.

Quòd si igitur in omnibus hisce locis tantum curæ ac laboris incolæ vili

huic piscium mercaturæ impendunt, cùm tamen solum patrium ipsis cibum, potum, vestitum, ligna, ferrum, chalybem, picem siccam & liquidam, retia, plumbum, sal, linum aliáque id generis neutiquam suppeditent, sed ejusmodi merces per tertiam, quartam, sæpè quintam manum ex diversis regionibus expectare cogantur: Si, inquam isti homines, se suósque ex hoc negocio non tantùm alere, sed in gentes quoq; inde possunt cogere, cum tamen tertiam opes temporis partem itu, reditu ac in loco morâ inutiliter perdant; quid est, quod nostros animos potius quàm Hollandorum, Hispanorum, Gallorum, aliorum reddat dubios? Hoc enim in loco necessaria alimenta nobis suppetunt, habemus omnis generis ligna ad scaphas, cymbas navesq; extruendas idonea: pisces præ foribus præstò sunt; Nec desunt pix, bitumem, axungia, aliaq; id generis, dummodo præparentur. Non est, quod hîc metuamus severos præsides ac Dominos, qui intolerandis vectigalibus nos gravent, aut mulctis pecuniariis cupiant ire perditum. Nullus locus longis processibus: nihil impedimenti à contentiosis causidicis, qui de justitia multum diuq; litigent: nec colonorum justo major est numerus, ut inde aliqua annonæ exacerbatio, aut legum corruptio metuenda sit. Usque adeò benevolo divina providentia hanc regionem lumine intuetur. Quicunque hanc regionem cupit incolere, huic liberum de rebus suis statuendi dominium ac arbitrium permittitur: ut quamvis ne hilum quidem possideret, tamen manuum suarum labore atque industria, nullo ferè negocio, breviq; temporis spacio, ad luculentas divitias possit emergere, dummodo tantum temporis atque curæ in re familiari curanda ponat, quantum in Anglia turpi ocio hactenus consuevit indulgere.

Solum hujus regionis adeò fertile est, ut nulli toto orbe cedat. Multa equidem ac varia regna, regiones, urbes peregrinando perlustravi, sed nullum in iis animadverti quæstum, quem tellus suâ naturâ ac sponte suppeditaret; quicquid autem obtinent, id longo labore atque industria, arte atque experientia hominum indiligentium sibi compararunt: Hæc regio suâ, quam Deus ipsi indidit, naturali bonitate, omnia ad victum hominis necessaria sponte absque ullo manuum labore ac molestia producit. Quantum verò spei, si interiores regionis partes pleniùs cognitæ, humana solertia, peritia ac labore colerentur ac consererentur? De quibus nullum relinquitur dubium, cùm extrema maris latera, ipsiq; adeò anguli regionis tanto cum fœnore commissa sibi semina refundant. Nihil dicam de piscatu ejus loci uberrimo; nulla enim navis vacua atq; inanis ex his regionibus discedere cogitur, dummodo justũ piscandi tempus non præterlabi sinat. Ac thesaurus quidem iste, qui ex piscatu colligitur, nunquam imminuitur, ejus scaturigo nunquam vastari, absumi aut obstrui potest. Quoniam igitur Hollandi Hanseaticis civitatibus, sibi ipsis, aliisq; regionibus haleces, lingios, atque asellos: Hanseaticæ civitates maximæ Europæ parti Sturios atque Caviaros: Hispania & Lusitania Mullos & Putardos: Novus orbis contemptum piscium genus, Pauperem Janum: Norwegia & Polonia, picem, bitumen, malos & axungiam: Succia & Russia ferrum ac linum: Francia & Hispania cannabim, vinum, chalybem, ferrum, atque oleum: Italia & Græcia sericum aliosq; fructus suppeditant: Ausim ego confidenter affirmare, idq; experientiâ edoctus, omnium istarum rerum materias, ex quibus constant, sua sponte in hisce regionibus nasci, ac feliciter provenire: imò omnia ista, aut certè potissima eorum pars multò citiùs uno hoc in loco vix 70. milliarium confecto itinere, quàm in omnibus supradictis regionibus comparari possunt, dummodo ad eam rem necessaria adhibeantur.

Solum enim adeò fœcundum est, ut omnis generis frumentum, fruges, semina que-

quæ illi credideris ſerendo, plantando, quàm feliciſſimè producat. Illud autem lubens conceſſerim, non omnes fruges juſtam ac perfectam maturitatem aſſequi, ac teneriores plantas non ſemper frugem polliceri, quòd hiſce in locis calor æſtivus eſt remiſſior, frigus autem hybernum eſt intenſius, quàm in noſtris regionibus. Ipſe ego iſtius rei periculum fieri: Menſe Majo in edito quodam petroſæ inſulæ loco, compluribus milliaribus à mari diſſito, hortum excolui, in quo omnia tam feliciter ſuccreverunt, ut Junius ac Julius Menſis Lactucarum affatim nobis ſuppeditaret. Præterea in inſulis aut peninſulis omnis generis armenta ac pecudes ſecurè educari ac pabulo abundè ſuſtentari poſſunt. Nec dubito, quin ab ipſis Barbaris, vilium mercularum precio, tantum frumenti impetraturus ſim, quantum ad trecentorum virorum alimoniam ſufficit: ſin inhumaniùs (ut certè ſolent) ſeſe gerant Barbari: quadraginta armati illos facile ad obſequium revocabunt, & ad annonam ſuppeditandam adigent: ex quibus ducenti, per novem menſes, ad operas piſcatorias adhiberi poſſent, donec de rebus neceſſariis abundè interim nobis proſpiciatur.

Menſe Martio, Aprili, Majo, uſque ad medium Junii, Aſelli magnâ copiâ hîc reperiuntur. Majo Junio, Julio & Auguſto Mulli & Sturii capiuntur, ex quibus poſtea Caviaros & Puttardos conficiunt. Nec deſunt Haleces, quarum aliquot in exenteratione Aſellorum reperi, aliquot etiam retibus concluſi. Barbari autem incredibili copia eas ex mari petunt, ubi juxta littora magnis agminibus conglobantur. Sub finem Auguſti, Septembris, Octobris ac Novẽbris denuo Aſelli, ſalſi piſces, ac quos Pauperem Janum vocant, magnâ copiâ ſeſe offerunt. Unus ex his piſcibus centenarius duobus aut tribus, quales in Novo orbe reperiuntur, longè præſtat. In quocunque libuerit foro, piſces venales inveneris, multo ante, quàm in Novo orbe piſcatus inchoetur, qui ſolo menſe Julio fieri aſſolet.

Similiter, piſces ſalſos commodè ad diverſa emporia in Luſitaniam deportare, ibidemq; divendere poteritis, priuſquam Iſlandi veſtri domum redeant. Iſlandi certè tempus oportunum ſulcandi mare exactè tenentur obſervare: Hîc præ foribus duplum ad piſcandum temporis vobis permittitur: Hîc ſingulis noctibus cum uxore & familia, quomodo & quandocunque libuerit ad luculentum focum in campi planicie, animo ſecuro ac tranquillo ſomnum vobis licet capere: cùm illis inter ſummas curas atq; moleſtias, mari turbido & turgido ſemper in navibus manendum ſit.

Mulli tantâ hîc reperiuntur abundantia, ut quis unico jactu, vel centum retibus poſſit concludere. Qui ad promontorium Candidum capiuntur hamis, vix ſeſqui pedem longi ſunt, qui verò hîc capiuntur, duos, tres aut quatuor pedes, quod ipſemet obſervavi, excedunt. Quidam etiam Eſoces magno numero in aſſcenſu fluminis deprehenderunt. Ea quoque aëris eſt temperies, ut quovis tempore piſces in vivis aſſervari poſſint.

Barbarorum pueri ac puellæ, item tenuioris fortunæ homines ad labores poſſunt aſſuefieri, ut ſaltem piſces domum deferant, telam faciant, ac inſtrumenta piſcatoribus neceſſaria præparent.

Sal quoque, abſque ullo dubio hiſce regionibus confici poteſt, ſi non prima opera ad libram, tamen tale, quod donec omnia rectiùs conſtituantur, uſui nobis eſſe poſſit.

Naves advehere poſſunt vaccas, equos, capras, viliores pannos, & id genus alia, quibus hîc loci deſtituimur. Interim tanta piſcium cogi poterit copia, ut quandocunq;

advenerint naves, plenam ſemper vecturam inveniant, nec diutiùs expectare teneatur. Id ſi fiat, licet precio conducantur nautæ, parum obfuerit. Mirum enim, ſi reditus hoſce ſumptus ferre non poſſit. Opera verò danda, ut cum primo vere iſthuc appellant naves, ſin minus, in hyemem proviſio iſthæc faciunda erit.

De rufis quibuſdam baccis, Alkermes dictis, quarum in novo orbe libra 10. ſolidis Anglicis venit, hic autem 30. aut 40. æſtimatur, magnus quotannis cogi poſſet cumulus. Nec parum lucri ex Cattis muſciferis percipitur. Operæ enim precium feceris, ſi bonitatem ejus volueris explorare.

Ex fibris, lutris, martibus, nigris vulpibus earumq; pellibus, quæ omnes tantumdem valent, quotannis ſex aut ſeptem milliaria comparari poſſent, ſi ab ejuſmodi commerciis Galli excluderentur. Hoc enim anno 25000. pelles ex hiſce Septentrionalibus in Galliam tranſlatæ ſunt, quod emolumentum omne nobis accederet, quippe qui ex ejuſmodi negociatione æquè ac Galli, rem facere poſſemus.

Mineralia, aurum, argentum, plumbum optimum, Cryſtallum, Alumen quod attinet, poſſem equidem multa de iis referre, ſiquidem id tutò mihi facere liceret. Ex officio aliquoties ejus rei periculum feci, ac genuina metalla hîc reperiri animadverti. Sed cùm Alchimiæ gnarus haud ſim, hîc me reprimo, nec plura affirmare auſim, quàm certò novi. Si quis autem officinam ferrariam hic exſtruere vellet, materiæ ſatis, ac lignorum abundè abſque ullo precio poſſet obtinere. Ex quibus omnibus patet, facili negocio, abſque labore ac moleſtia omnia ad Coloniæ conſervationem neceſſaria comparari poſſe, donec navigationum accedant ſubſidia, ac ſummè neceſſaria mari ad nos deferantur. Faceret huc non parùm Indianorum ſeu Barbarorum opera, ſi more debito ad piſcatus, ſementem faciendam, lignationes, aliosq; labores adhiberentur.

Verùm enimverò, ut ad ſingulares quaſdam regionis partes accuratiùs deſcribendas redeamus, cùm ipſe loca omnia necdum planè habeam cognita: neq; etiam perfectè ſtatum regionis potero delineare, præſertim, quod mare, aërem, varios fructus, populos, formam reipublicæ, religionem, juriſdictionem, limites, confœderatos aut hoſtes, aliaq; id generis attinet: ſed ea tantùm proferam, quæ hinc inde ex variis linguis addiſcere, atq; interea temporis, quo in hiſce regionibus verſatus, colligere potui.

Potiſſima Septentrionis pars, in qua ferè viximus, eſt ſinus Pennobſcot: is diverſis populis habitatur, qui ex piſcatu & venatu inter inſulas per ſtagna & ſylvas, in quibus magna fibrarum aliarumq; ferarum reperitur copia, vitam ſuſtinent. Sinus hic magnas aliquot inſulas, 1. 2. 6. 8. aut decem milliaria in longitudinem porrectas comprehendit, in quibus jucundiſſimi commodiſſimiq; portus inveniuntur. Verſus Orientem habitant Tarrantines, capitales horum hoſtes, apud hos Galli ſedem ſibi delegerunt, ac paricum incolis jure vivunt.

Verſus Septentionalem Occidentis plagam à Pennobſcot, ab altera parte altiſſimi montis jacet Mecaddacut, quod eſt propugnaculum contra Tarrantinorum incurſiones extructum, montanæ Pennobſcoti regioni ac mari finitimum. Ex hoc loco omnes aliæ regiones ad 16. vel 18. miliaria diſſitæ proſpiciuntur. Proximè adjacet *Segocket*, tum *Nuſtoncus*, *Pemmaquid*, & *Sagadahocke*: juxta hoc flumen, prope occidentalem Coloniam reperiuntur *Aununckawgen*, *Rinnebeck*, aliaq; oppida, ut & agri complures frumento conſiti. Poſteaquam ad 40 aut 50. miliaria in longitudinem flumen hoc emenſi ſumus, præter prærupta litora, atq; incultas rupes, arboribus obſitas nihil reperimus. Quæ verò Barbari incolunt loca, ſolum habent pingue ac fertile. Occidentem verſus ab hoc flumine

mine, regio *Aucocisco* in extremo angulo ampli ac profundi sinus prominet, quamplurimis amœnissimis insulis conspicua, quæ totam regionem in commodissimos aliquot portus distinguunt.

Sacrocotuk, huic vicina in angulo ampli ac sabulosi sinus conspicitur: quæ regio rupibus ac insulis referta, paucos eósque cymbis tantùm excipiendis idoneos habet portus, quantum quidem mihi cognoscere licuit. Littus verò marinum, quatenus Pennobscotum ac Orientem versus porrigitur, ex altis rupibus ac Saxosis insulis constat, in quibus tamen, quod meritò mireris, solo tam duro ac pertinaci procerissimæ exurgunt arbores. Regio est deserto similis, plus horroris, quam voluptatis intuentibus afferens.

Interim mare istic loci piscibus maximè abundat, ac insulæ istæ desertæ optimis lignis, fontibus, fructibus, piscibus atque avibus, usque adeò divites sunt, ut facilè inde colligi possit, quamvis marina littora ob rupes continuas, despecta sint, valles tamen, campos, atque interiora loca fertilitate nulli regioni quicquam concedere. Nec verò ullum sub sole regnum adeò fœcundum atque amœnum reperitur, quod non loca quædam deserta atque inculta obtineat. Adhæc Nova Anglia ejus est capacitatis, ut, siquidem universa coleretur, in complura regna, ac diversas regiones distingui possit.

Ubi in marino littore Occidentem versus progressus fueris, pervenies *Accomintiticum ac Passacaquacham*, qui duo portus cymbis minoribus excipiendis accōmodi, præter iniqua ac Saxosa loca solum habent satis fœcundum. Hinc *Augoa* cernitur, de qua facilè quis præposteram sententiam tulerit, cùm sinu seu vado quodam à mari ambiatur, ac præruptis montibus disterminetur, nihilominus tamen, ut in editis sic demissis locis agri fertilissimi, omnisq; generis optimæ fruges reperiuntur. Orientem versus insula quædam ad duo vel tria milliaria extenditur, hæc solum habet paludosum ac graminosum, pascuis haud incommodum: hortensibus fructibus, moris quercubúsque, ex quibus scaphæ, imò domus, loco tam securo, extrui possent, circumseptum.

Naimkeck, licet fundum habeat magis scopulosum, atque *Augoa*, ubi sabulum prædominatur, nihilominus tamen ob portus aliarúmque rerum commoditates celebratur: quantus verò incolarum numerus sit, nondum addiscere licuit. Hinc usq; ad mare totius regionis metropolis *Tragabigzanda*, tribus insulis circumdata porrigitur, quæ tria Turcarum capita appellantur: Versus Septentrionem amplus quidam sinus patet, in quo domicilia aliquot, ut & agros frumento consitos reperimus: hujus loci incolæ de magno quodam fluvio referebant, juxta quem ædes ad minimum triginta extructæ essent, quarum Domini dominium in istas regiones obtinerent: Quia verò Galli commerciis suis isto in loco nos præverterant, ulteriùs ad loca ista contemplanda progredi consultum haud putavimus. Insulæ Matthnutz Occidentem versus ab hoc sinu dissitæ portum omni procul dubio habent commodissimum. Latus marinum maximam partem insublime assurgit; littus sabulosum est. In hac ora è longinquo fundi lati ac fœcundi, ut & homines commoda corporis proportione præditi magnâ copiâ conspiciuntur. Verùm cùm Galli sextam jam hebdomadam ibi moram traherent, occasio sese haud obtulit, diligentiùs de incolarum moribus ac numero, ac quousq; fluvius in interiora regionis ascenderet, percontandi. Incolæ hujus loci admodum sunt benigni atque humani, ad iram verò provocati, fortes ac strenui. In-

Cùm enim unum ex iis fortè offendissemus, is cum tribus aliis ultra portum *Quonahassit* ad scopulos quosdam, quos præterire cogebamur, advectus tanto furore tela sua in nos evibravit, ut vix indemnes periculum effugere possemus.

Porrò *Accomakum* itur, qui portus est tutissimus ac commodissimus: huic loco præter incolarum solertiam nihil deest. Homines sunt comes ac valdè placabiles: cum enim levi de causa pugna inter nos ac quadraginta aut quinquaginta Barbaros oborta esset, licet complures ex iis malè mulctarentur, quidam etiam ad mortem usque cæderentur: illi post unius horæ spacium in gratiam nobiscum redierunt. *Cape Cod*, quod nunc Jacobi promontorium dicitur, huic quam proximè adjacet: regio est ex arenarum tumulis edita, tædiferis aliisq; vilibus fruticibus obsita: portum verò contra procellas ac tempestatum injurias longè habet securissimum.

Promontorium hoc ab uno latere mari, ab altero, amplo quodam sinu, instar falcis stringitur: Huic vicini sunt Pawmetenses, interiores verò regionis partes Chavumenses incolunt. Meridiem versus, ac sub Meridionali Occidentis plaga periculosa brevia fundo sabuloso, & salebroso in mare longiùs excurrunt: hæc dum circumirem, quàm proximè littus fundum ad 30. orgiyas, atque alveum satis fortem deprehendi, quod indicio erat, transitum isto in loco reperiri, in quo æstivo hybernoq; tempore optimi maximíque pisces intercipi possent. Barbari autem ejusmodi transitum ibi reperiri negabant, brevia ista ab alveo Pavvmeti in Nauseto insula congesta, longiùs demum exporrigi affirmantes: cùm tamen ipsi vadum, quo eatur ad mare ignorarent. Hinc *Capavaccam* itur, quæ regio mineris, cupro, frumento, atque incolis abundans, postremo hoc anno à me detecta est: Idq; non sine meo periculo, quod nunc silentio præterire lubet, donec commodior istius commemorandi sese, Deo ita volente, offerat locus.

Ajunt Massechusetas interdum cum Pennobscotensibus Bashabis bellum gerere solitos, atque etiamnum Chavvumenses, eorumq; confœderatos hostili odio prosequi: Verùm moderno tempore amicitiam inter se colunt, atque in finibus liberè commercia mutua exercent. Neque enim longinquiora itinera, quàm à Pennobscoto usque ad Capo Cod suscipiunt, raro Massachevvsetum usque versus Septentrionem progrediuntur. Hîc frumenti sementem facere incipiunt, quæ præsertim in meridionalibus locis usq; adeò feliciter provenit, ut Septentrionales, quantumcunq; libuerit frumenti, ac hyeme majorem etiam piscium aviumq; copiam ab iis possint impetrare.

Insulæ montesq; maximè notabiles, ex quibus tanquam certis signis regio hæc ab aliis internosci potest, sunt hæ: insula maximè elevata est *Sorico*, in sinu Pennobscotano: tres verò insulæ, unà cum rupe quadam haud procul à *Matinnaco*, longius in mare protenduntur. *Metinnicus* tres planæ insulæ sunt, inter quas & *Monahigam* scopulus quidam interjacet. Hæc verò est alta quædam ac rotunda insula, inter quam & aliam quandam *Monanis* dictam parvus portus conspicitur. In Domevillæ insulis alius adhuc reperitur portus, *Sagadahock* fluvius per *Satquinum* notus est, ad cujus ostium quatuor vel quinque insulæ assurgunt. *Schmiti* insulæ, cumulum quendam insularum, à se invicem diremptarum *Accominticum* versus efficiunt. *Turcarum capita* tres sunt insulæ in latere maris, quæ quàm longissimè conspici possunt. Potissima verò totiùs regionis promontoria, sunt Cape Tragabigzanda, & Cape Cod. Flumina maximam partem limpida ex interioribus regionis partibus promanant.

Herbarum fructuumq; diversæ admodum istis in locis nascuntur species, utpote Alkermes, cujus baccæ uvis passulis haud multum absimiles sunt, mora, uvæ, ribes, gros-

grossellæ, pruna, nuces juglandes, castaneæ, avellanæ, &c. item cucurbitæ, cucumeres, fraga, fabæ, pisa, atque olyra, quam Maytz vocant, ut & duplex lini genus, ex quo retia, lintea ac restes conficiunt.

Inter arbores primus locus debetur quercubus, quarum tamen pro soli differentia magnum est discrimen: præterea pini, tœdæ, nuces, castaneæ, betulæ, fraxini, ulmi, cupressi, mori, pruni, coryli, Sassefras, aliæq; id genus arbores ibidem reperiuntur.

Aquilæ, gryphones, accipitrum diversa genera, grues, anseres, onocrotali, anates, majores & minores, gaviæ, gallinæ indicæ, mergi, aliæq; aves complures, quarum nomina latinis auribus ignota sunt.

Balænæ, Grampii, Delphines, Turbidæ, qui pisces cornuti sunt; sturii, aselli, haleces, mulli, anguillæ, cancri marini ac fluviatiles, musculi, ostreæ, aliiq; exotici, nostróque orbe peregrini pisces.

Mus, animal est cervo majus, in sylvis errans, colore subrufo ac cineritio; fibræ, nigri lupi ac vulpes, Arongconds, cati sylvestres, ursi, lutræ, martes, feles musciferæ, atq; insecta infinita, quorum nomina me fugiunt.

Omnia hæc quovis anni tẽpore in regione ista reperiuntur: quia verò olim illorum numerus parum fuit imminutus, nuncq; demum usurpari cœperunt, isthæc magno numero capta solent arefacere. Sæpe in depresso littore aut caverna arenosa, tanta cancrorum marinorum vis comprehenditur, ut iis integras scaphas complere possis.

Nec ulla ferè insula reperitur, in qua non fructus, aves, cancri, musculi, qui aquâ minus profundo in solo subsidere amant, inveniantur. In portu, quo nos utebamur, parvus puer ad clavum sedens brevi temporis spacio tantam optimorum piscium cœperit copiam, ut in unius diei cibum sex vel decem personis facilè possint sufficere: retibus verò vel mille pisces unico jactu concludebamus.

Ac ne locus quidem tota regione reperitur, ubi projecto hamo piscatorio, non continuo unum ex optimis maximisq; piscibus, utpote Asellis, makarellis aliis, possis intercipere. In diversis anfractibus maris tantam mullorum copiam, vir unus reti concluserit, quantam summo cònatu ad littus potest pertrahere. Fluvii item nulli sunt, in quibus non summa Sturiorum atq; esocum reperiatur abundantia, dummodo justum illorum tempus observetur. Toto ferè piscatus nostri tempore annona nostra erat modicum panis aceto mistum. Nihilominus integrum ferè Julii Mensem, quo tempore piscatus paulatim decrescit, indies strenuè opus fecimus, sub dio noctes in insulis traximus, atq; obvium quemvis cibum arripuimus, nec quicquam inde ad nos rediit detrimenti. Non tamen ulli author sum, ut eundem vitæ suæ sequatur modum, nisi eò extrema ipsum adigat necessitas: interim morte dignum censeo, qui corporis robore viriumq; integritate præditus hisce in locis victum sibi comparare nequeat, cùm rerum ad vitam sustentandam necessariarum abundantibus copiis hæc regio affluat.

Quis enim majorem unquam fecerit quæstum, quam si quis, cui aliâs cum inopia atq; egestate conflictandum, ac victus durissimo manuum labore comparandus est; fortunæ melioris subeat aleam, in hasce regiones transeat, iisq; terris excolendis incumbat, quas vitæ corporis impendio primus occupavit.

Quid optatius ejusmodi ingenio possit accidere, quàm regionem hactenus incultam, Dei benedictione, suaq; virtute absq; injùria ac detrimento occupatam in lætam posteritatis spem colere atq; exornare? Quod officium Deo gratius, proximo utilius

atq; salutarius præstiterit, siquidem scintilla veræ fidei, atq; in religionem zeli in ipso sit reliqua, quàm si miseros ac barbaros istos homines, ad Deum Creatorem suum convertere, ejus notitiam, dilectionem, reverentiam ac timorem in eorum animis excitare; ad Christi unici nostri Salvatoris ac servatoris agnitionem adducere, atque ab aggresti ad humaniorem vitæ modum revocare possit? Certè labor hic debita cum prudentia susceptus, duplo aut triplo majus operâ præmium refundet. Quid honestius, quid præclarius, quàm rem hactenus occultam atque incognitam manifestare atque in lucem proferre, item civitates condere, colonias deducere, ignaros convertere, stolidos instituere, injusta corrigere, ad virtutem assuefacere, aliud adhuc regnum patrio solo adjicere, ocium prohibere, injuriam à proximo propulsare, perpetuam laudis suæ materiam posteris relinquere? Considera, quod principium, quis finis omnium monarchiarum fuerit? Certè ad hanc regulam ac scopum omnia illorum consilia dirigebantur. Quos non labores virtutis, commodi publici, ac salutis patriæ promovendæ causa exantlarunt? Exemplum proferam, Quid Romanos ad tantam monarchiam evexit? Certè juventutis exercitia, non intemperantia domi, sed pericula foris: cui accedebat justitia ac prudentia longo rerum usu acquisita. Quid eorundem ruinam atque interitum acceleravit? Ocii abundantia, patrum in liberos negligentia, Magistratuum reipublicæ administrandæ gnarorum penuria, sui ipsorum ob immeritos honores admiratio, laborum fideliter impensorum contemptus, intestina inter se odia, politica diffidentia, externa in speciem probitas, sed clandestina iniquitas. Hac ratione gloriam rerum gestarũ à majoribus multis annis partam brevi temporis spacio perdiderunt. Illi quidem virtute & industria heroes ac domini totius orbis constituebantur: hi vero vitiis ac voluptatibus enervati mancipia suorum servorum facti sunt. Atque hoc illud discrimen est, quod inter armorum in acie usum, & lapidea monumenta, inter auream secundæ, & plumbeam adversæ fortis aram, inter justitiam & injustitiam seu perniciem, corpus & umbram, verba & facta, experientiam & opinionem, publicæ salutis incrementa, virtutum deniq; fructum ac vitiorum eventum cernitur.

Quisnam igitur sanæ mentis domi potiùs in ocio delituerit, atque ubi edendo, bibendo, dormiendo genio satis indultum vitæ finem exoptarit? Quis rem à proavis honestè partam ac relictam sua negligentia ac prodigalitate profuderit? quis malit dignitatem suam in miseria sordescere, quam virtus honorificè tueri possit? quis in extrema paupertate de fumosis majorum imaginibus ac nobili prosapia glorietur? Quid attinet inani pompa deceptum cordis animiq; penetralia, ignominiosa defectione, ludis scurrilibus, alea, nugisq; nugacissimis propalare, alienam sectari quadram, ac parasitorum more prandia ac cœnas magnatum captare? Quid juvat amicos fallacibus promissis, aureis montibus, naso adunco suspendere: hinc inde mutuum sumere, quod nunquam animus sit solvere: legibus ac statutis contumaciter vita moribúsque repugnare, illustri aliquo scelere patriæ labem atque infamiam aspergere: seipso abuti, atque in penuria ad restim adigi? Quæ væsania, fratrum germanorum, imò etiam parentum mortem, ne dicam condemnationem, exoptare, dummodo eorum fortunis uti frui liceat, quamvis quæ in mundo honoris ac gloriæ cupidos maneant præmia sit in propatulo.

Oro autem atque obtestor omnes ac singulos ne quis à me se læsum putet, sed ut monita mea ex fido animo profecta boni consulat, quippe qui omnibus bene, nemini malè velim ac voveam.

In-

Interim nullus dubito complures pio huic negocio favere, ac facilè ad istud conficiendum permoveri posse, quibus certè animus nunquam deesset, dummodo ditiores sũptus facere non detrectarent: alioquin pericula neutiquam subterfugerent, sed ulteriùs etiam Coloniæ vestrę auspicia proferrent. O cęcam verò parentum stoliditatẽ! ô nimiam indulgentiã, aut in liberis educãdis sorditiẽ ac segnitiam, qui turpi in ocio frenos liberorum petulantię laxatis, donec ipsi in vos imperium sibi arrogẽt, atq; in eam feritatem degenerent, ut nihil magis quàm ultima parentum fata in votis habeant. Quid obstat, quò minùs tam pio huic negocio filios vestros adhibeatis? Tempus erit, quo illos uspiam latere desiderabitis, ut laquei supplicium possint effugere, licet quotannis 300. circiter florenos inutili sumptu prodegerint, atq; abligurierint. Quid prohibet ergo, quò minùs illos hanc fortunã periclitari patiamini? qua, si vestra ope atq; prudentia rectè usi fuerint, non solũ dignitatem suã honestè tueri, verũ etiã ipsos vos parentes pręcurrere poterunt.

Non usq; adeò delicatè à parẽtibus sum educatus, copiã atq; emolumentũ degustavi, etiã inopiam ac detrimentũ perpessus atq; expertus sum. Itaq; cũ mihi ipsi nõdum satisfaciã, ad nova hæc incępta persequenda abripior. Neq; ignarus sum, parũ me mea industria gratię apud plerosq; initurũ: imò plerosq; in istac esse sentẽtia, se toti mundo opinionẽ prudentię ac sapientiæ allaturos, dũmodo subtilibus, sed revera futilibus suis cavillis consilia mea carpere atq; eludere possint. Etiãnum spe ducor bona, rationes modò à me allatas apud aliquos saltẽ tantum ponderis habituras, ut opem mihi in hoc negocio minimè sint denegaturi, sed qui modò talpis sunt cæciores ipsi vęcordiã ac diffidentiam suam possint agnoscere, potiùs spe lucri, quã religionis, charitatis ac publici cõmodi causa in coloniæ istius deductionem consensisse. Quid ad me rediret utilitatis, si meipsum, imò Regiam majestatem, illustres ordines, amicos benevolos, ipsamq; adeò patriã inani spe lactarem. Cùm igitur intellexerim Regiã Majestatem in hoc negociũ quàm clementissimè consensisse, optarim equidem hunc conatum nostrũ à locupletibus honestatis amantibus ac solertibus ingeniis promoveri. Si caveri sibi idoneè à me postulent, nõ tergiversor. Nemini tamen author sum, ut solus tam longinquũ iter ingrediatur, ipsum me itineris comitẽ offero: nec deserã illos in solo peregrino, sed unà cum ipsis manebo, eandẽq; fortunę aleam experiar. Nõ consulã in medium, ut imprudenti ac temerario cœpto ejusmodi ineatur via, quæ ærũnarum satis nobis esset allatura; sed dũmodo ea, quã dixi, fiat provisio, non dubito, quin de cibo aliisq; rebus necessariis abundè sibi prospectũ omnes fassuri sint: Sin ex voto succedant omnia, nullum aliud exposco pręmiũ, quã quod laborũ fructus sua sponte secũ afferet: Adhæc si cui exacto anno hujus regionis tœdium oboriatur: huic unà cũ refusione sumptuũ liberam discedendi permittã facultatem. De colonis verò nulla me sollicitudo angeret, qui magno numero cõfluerent, dũmodo quę mihi de isthac regione cognita sunt ipsis quoq; innotuissent Nec quenquam à laudabili atq; ordinaria rei familiaris administratione, ut mecum in Novã Angliam abeat, inibiq; conatus meos promoveat, cupio abducere. Neminem quoq; absterreat, labores istic loci fore intolerabiles, quanquam ut dictũ divitię solo labore atq; industria cõparari soleãt. Illud enim ausim affirmare, quã plurimos in Anglia reperiri, qui inanium voluptatũ cœno immersi plus laboris atq; operæ in iis vestigandis collocent, quàm hîc ad immensas opes cogendas requiratur. Interim plerumq; dimidio minùs voluptatis atq; emolumenti, quàm detrimenti percipiunt. Omnia hîc tuo inserviunt lucro, quæ in Anglia sumptus, ac damna sæpe important maxima. Hîc tellus aureaq; libertas sua sponte profert, quæ Anglis aut planè negata aut summis impensis comparanda sunt. Quid

jucundius,quàm ſuo in prædio quemq; agros,hortos,vineas,fruges herbasq; ſerere, colere,atq; ſuo arbitrio inſtaurare,naves extruere,aliaq; id generis negocia obire &c. Præ foribus delicias quærere,ſua ipſius navi in altum provehi, ac nullo negocio, hamulo piſcatorio optimi generis piſces intercipere poſſe? Quid amœnius,quàm duobus nummis ſex,imò duodecim ſæpè nummos lucrari? Ignavum enim piſcatorem eſſe oportet, qui non unius diei ſpacio centum,ducentos trecentósve Aſellos poſſit capere,qui exenterati atq; arefacti poſtea eodem in loco decem,in Anglia vero 20. ſolidis, quàm libentiſſimè veneunt:annon igitur tantum lucri quilibet ſervus,herus,aut mercator boni pro rato conſuleret. Imò ſi quis in ſeptimana triduum labori gnaviter incumbat,plus lucrabitur,quam familiæ alendæ neceſſitas exiget,niſi nimia prodigalitate, quę labore parta ſunt,velint inutiliter profūdere. Quid igitur de fabris lignariis,lapicidis,hortulanis,ſartoribus,ferrariis,nautis aliisq; opificibus dicam?annon ſummo oblectamento ac lucro ſibi ducent, ſi vel unicam in die horam piſcatum prodeant, quo temporis ſpacio tantum piſcium capient numerum, ut in victum toti familiæ integram ſeptimanam ſufficiat. Ac licet ipſi piſces iſtos faſtidiant,cùm præſtantiorum ciborum deliciæ iſthic affluant,illos nihilominus cùm piſcatoribus ac mercatoribus pro aliis,quas advehunt,mercibus,poterunt commutare. Præterea non parùm oblectationis affert,ſi quis cœlo ſereno atque amœno ab una inſula in aliam per fluvios ac ſtagna trajicere,aërem mutare atque animum recreare,imò eadem opera rem ac quæſtum facere poſſit. Licet enim haud omnes piſcibus inſidiari norint ac ſoleant,tamen aliis in rebus neceſſitati ſuæ conſulere,delicias ac lucrum quærere poterunt. Cujuſcunq; enim ordinis,fortunæ, atq; opificii homines ſint,cuilibet integrum eſt,ſuum quærere commodum,cùm omnia ad victum neceſſaria,benefica parens natura larga manu iſthic loci ſuppeditet.

Nobiles atq; equeſtris ordinis viri variis exercitiis ludicris animum oblectare poſſunt:indies enim loca incognita ſylvasq; remotas venandi,piſcandi,aucupandi gratia adire licet. Videas in amœnis portubus ſex,ſeptem aut octo ex fero genere accipitres,ex alto præcipites ferri, ac duas circiter horas piſcium capitibus advolutos eſcam quærere. In interioribus locis imbelles aves perſequuntur,adunco roſtro contundunt atq; humi proſternunt,utut autem ſint feri, facili negocio cicurari poſſunt. Neque oblectamenta hęc cum tot moleſtiis ac vexationibus ſunt conjuncta,ut in Anglia,ubi qui Aucupium ſectantur, continuis vigiliis, fame,ſiti macerantur, equitando, currendo atq; hinc inde divagando delaſſantur,ac ſæpe in manifeſtum vitæ periculum adducuntur, cùm tamen vix accipitrem unum habeant obvium,ne dum ullum capiant. Adhæc præter venandi exercitium,ſylvæ,montes,ſtagna,fluvii,non ſolùm jucundæ ac ſufficienti mentis recreationi inſerviunt, ſed optimam quoq; alimoniam ſuppeditant, quarum pelles magno cum fœnore divendi,eodemq; precio,cum Capitanei alicujus ſtipendio æſtimari ſolent.

Quod agricolas alioſq; operarios attinet,qui ſerendis frugibus, cannabe, rapis, paſtinacis,braſſicis aliiſq; oleribus occupantur, certè facillimo negocio ſe ſuoſq; poſſunt alere. Agri enim gratis fere illis elocantur, vix 10. 30. 40. aut 50. pendunt ſolidos, ut ex iis non ſolùm commodè vivere, ſed ad amplas quoque divitias poſſint pertingere. Mirum itaq; mihi videtur, ſi quis in tanta omnium rerum copiâ ad inopiam redigatur.

Neque tamen eò mea pertinet oratio,ac ſi filios à parentibus, maritos ab uxoribus, ſervos à Dominis velim aufugere;ſed de iis loquor,qui bona cum pace ac venia ſeſe invi-

vicem possunt deserere; aut si qui in civitatibus, pagis, aut diœcesibus 13. aut 14. annorum orphani reperiantur: aut si qui conjuges ægrè se suosq; hîc possint alere, hos longè commodiùs in Nova Anglia victuros existimo. Apprimè verò necessarium duco, antequam isti certo cuidam dominio adjudicentur, ut de viribus mediisq; domos extruendi, subditos tutandi, ac de rebus necessariis iisdem prospiciendi satis constet, nec ante ullum in locũ colonia deducatur. Quem in finem consultũ foret, propugnaculum quoddam extrui, priusquàm negocium istud inchoaretur. Danda quoque opera, ut in promptu sint fabri lignarii, latomi, piscatores, aucupes, hortulani, textores, netrices, sartores, aliiq; id genus artifices, quibus pro uniuscujusq; opificii consuetudine, 10. 11. aut 12. pueri in disciplinam tradi possent, ut ubi isti sub magistris artem quisq; suam imbibisset, illam alios postea posset edocere. Certè hac ratione publico regis, patriæ, ipsorumq; opificum commodo foret prospectum, cum ita tam ad magistros, quàm ministros non parùm utilitatis redeat.

Liber in immensum excresceret, si pro necessitate describere ac recensere vellemus quos insultus, quæ pericula, quas calamitates ac miserias Hispani ac Lusitani in novi hujus orbis detectione atq; occupatione sustinuerint, qui certè multis parasangis nostram imbecillitatem, socordiam ac negligentiam post se relinquunt. Quanto enim tempore, quàm ridiculè ac contumeliosè primi illi Authores ac novarum regionum repertores sunt habiti? Idem etiamnum usu venit iis qui incomparabiles illorum virtutes, è longinquo sequi, atq; illorum vestigiis tentant insistere. Licet ob oculos quotidie cernamus immensos divitiarum cumulos, qui ex ipsorũ Coloniis emanarunt, nihilominus adeò vecordes ac rebelles sumus, ut quæ ignoramus, aut credere nolimus, aut metu nimio imminens periculum declinandi fatigemur: cùm tamen constet hac ratione oblatas occasiones negligi, aut supprimi, aut saltem tædium afferri, iis, qui jam operi manum admoverunt. Sic struendo dirimimus ac destruimus, fructus ex floribus quærimus, malumus arenæ lubricæ, quàm solidæ petræ superstruere, judicamus de rebus, quas nec scimus, nec intelligimus, gubernamus ea, quæ in nostro arbitrio haud quaquam sita sunt, metuimus, ubi nulla timoris causa subest. Imò reperias homines, qui novitios Colonos vel invitos ad ocium cogant.

Quis autem sanę mentis, atque alicujus saltem industriæ atque indaginis, dulce patriæ solum verteret, spes domesticas abjiceret, vocationem honestam desereret, amicos, oblectamenta, libertatem, prędia derelinqueret, nisi ad fortunæ suæ aleam periclitandam spe certa lætissimorum ob merita prępmiorum olim percipiendorum adduceretur. Quam primum enim felicitatis alicujus aspirat aura, statim animi in ejus desiderium abripiuntur: Verùm quotidianis alimentis atq; adminiculis opus habent, instar tenelli infantis, donec solidè gressus possit figere, ac suo marte intelligat, quid laude, quid vituperio dignum, ne onus humeris suis impar sibi imponi patiatur, priusquam quidnam istud secum portet, habeat cognitum. Dum itaq; summum perfectionis gradum quàm difficillimè possimus assequi, necessitas ipsa videtur flagitare, ut non solùm omnis generis praxes ac consuetudines, sed sæpè etiam ridiculæ cogitationes mentem subeant. Criminetur ac damnet paradoxas hasce sententias, qui volet: dum septem ad minimum annos requiri asserunt, priusquam mentis acie comprehendere possis ea, quæ ad tanti operis molem sint necessaria. Ego verò inquam; Quicunque in remotas hasce regiones Coloniam deducere satagit, is post septem annorum decursum satis negocii reperiet, in quo omnes ingenii sui vires collocet. Idem animadvertet,

ejusmodi Colonias potiùs libertate, utilitate, honore, felicitate (quam ipsa tellus offert singulari devotione atq; obligatione conservari ac propagari, quàm servitiis, vi, tyrannide, ingratitudine, aliisq; id genus fucatis præmiis, quæ ex liberis servos, ex honestis viris nebulones nequissimos efficiunt, ac populosissimis coloniis ac rebus publicis certissimam cladem atq; extremam perniciem attulerunt: cum novam erigere Coloniam, maximi semper laboris opus sit. Quis enim non videt, quodnam summum Hispanorum bonum, studium atq; incœptum fuerit? Illud nimirũ, ut incognitas hujus novi orbis regiones vestigarēt, quâ viâ in abditissima vicinorum suorum, ac totius ferè orbis arcana penetrarunt. Ansam huic negocio præbuit clarissimus Columbus, quod illi per nostram negligentiam eò direxerunt, ut opinionem nobis attulerint hactenus nullas ulteriùs orbis extare partes, quàm quas Columbus aliiq; detexerint: cùm tamen videamus quotidie tam ab ipsis, quàm à nobis novas regiones, nationes atq; commercia in Asia, Africa, Terra incognita atq; America investigari, atque ita patriam ipsorum aliquot hominum tam militum, quàm opificum millibus exhauriri, qui alioquin sua ignavia, contumacia, atq; inscitia vicinis suis graves fuissent, aut temeritate sua Hispaniam ipsam in præsentissimum periculum adduxissent.

Jam verò Anglia æquè tanto hominum numero, quanto Hispania carere, illisq; de rebus necessariis abundè poterit prospicere: Ad hæc Hispani licet complures regiones dominio suo subjecerint, tamen non cessant terras necdum occupatas, imò nec dum cognitas indagare.

Absit ergo à nobis Anglis isthæc ineptia; ut parta tueri, cognita persequi detrectemus. Ægrè ferrent nobiles majorum suorum titulos atq; honores ipsis eripi, licet suo ipsorum judicio se illis virtute minores atque inferiores, sicq; honoribus ac reditibus iisdem indignos fateantur: quippe qui non spectatoribus atq; umbris, ut ocio atq; ignaviæ indulgerent, decreti sunt, sed ut posteri ejusmodi titulis ad famam heroicis factis, ingenio, pietate, virtute extendendam extimularentur. Quos non labores majores nostri summa animi corporisq; contentione, ne quid respublica caperet detrimenti, susceperunt? Quid verò nostros homines, ut amicis suis, in causa tam honesta, quorum operâ facilè carere possunt, opem ferant, excitaverit? Ipsa religio nos, quotquot illi nomen dedimus, monet, siquidem pietatis cultu verè defungi cupimus, ut fidem factis testemur, miseros hosce barbaros, atque à fide alienos populos convertamus, ac ad veram religionem, Deiq; agnitionem adducamus. Cui enim labori Hispani parcunt, ut ad pravas suas superstitiones Barbarorum animos pertrahant. Equestris ordinis viros gloria rerum gestarum, virtus ac fortitudo exsuscitet.

Fortes ac laboriosos certa præmiorum spes erigat. Omnes verò, siquidem tales essemus, quales videri cupimus. Num reliquis populis ac nationibus sumus inferiores? Num ingenii nostri vis, hodierno die, quàm olim majorum nostrorum fuit, est obtusior? Num tantùm prædiis, piraticæ, aliisq; nequitiis intenti erimus? Malumúsne mancipio ac servitio Lusitanorum, Hispanorum, Germanorum, Gallorum, ac Turcarum addici, quàm verò Deo, nostro Regi, nobisq; adeò ipsis inservire? Plerumq; socordiæ ac negligentiæ nostræ, commerciorum penuriam, atq; honestorum officiorum raritatem prætendimus, cùm in detectione Septentrionalis hujus Americæ partis, unicuiq; libera offeratur optio quod vitæ genus, quam functionem velit eligere.

Ut verò verbis meis ipso facto majorem astruam fidem: decreveram postremo hoc anno 1615. in regione isthac subsistere, ac cum 16. viris porrò fortunæ aleam periclitari.

Ex

Ex equeſtri ordine erant, *Thomas Dienis*, *Edoardus Stalnigs*, *Daniel Cage*, *Franciſcus Abbot*, *Johannes Goßlnig*: ex militari, *Vvilhelmus Ingram*, *Robertus Miter*, *David Cooper*, *Johannes Partridge*, cum duobus pueris: ex nautico, *Thomas Digbie*, *Daniel Backer*, *Adamus Schmith*, *Thomas Vvathon*, *Gualtherus Chißiete*, & *Johannes Hall.*

Maluiſſem equidem tot meorum ſociorum fuiſſe millia, ſiquidem ab annona ſufficienter fuiſſemus inſtructi. Certè ſecundùm Deum omnem in exigua iſta manu fiduciam collocaveram: Jam antea Barbaris innotueram, contracta cum uno ex præcipuis primoribus Dobamidâ familiaritate. Hujus Barbari ſatis magnanimi interventu, non dubitabam, ea me ab amicis atque agnatis ejus impetraturum, quæ uſui mihi futura erant maximè, quod ab illis hactenus mihi denegatum fuerat: imò etiam commercia fore libera quæ cùm in permutatione mercium potiſſimùm conſiſtant, magno iſtius regionis bono, quàm facillimè ac tutiſſimè peragi poſſunt. Cum hoc, aliisq; aliquot Barbaris fœdus pepigerã, iſtis conditionibus, ut inter ipſos fixam mihi ſedẽ deligerem, eósq; contra Tarentinorum injurias, majori, quàm à Gallis factum eſſet pręſidio defenderem, quorum tyrannide uſque adeò vexabantur, ut quaſcunq; federis proponerm conditiones, in illas abſque ulla tergiverſatione conſentirent. Sed fortean aliquis in ejuſmodi cogitationes devenire poſſet, factum meum potiùs temerarium quàm prudens fuiſſe, quippe qui non perpenderim Barbarorum vires, celeritatem, proditorium animum, atque inconſtantiam, quâ complures alii in extremum vitæ periculum adducti fuerunt. Verùm enim verò hiſce reſponſum velim: me, licet plus in Virginia, quàm hiſce in locis mihi agendum fuerit, tamen experientiâ edoctum, præter ordinaria pericula nullum gravius ſenſiſſe, neque etiam extimuiſſe, quamvis inter aliquot millia ultimum tuerer locum.

Atque hæc potiſſima ſunt argumenta, quibus motus aliis negociis poſthabitis, omne tẽpus, omnemq; operam in harum inſularum commodum impenderim: à quibus me hominum ingratitudo, malorum calumniæ, amicorum inconſtantia, timidorum proditio, miniſtrorum negligentia, in primis Naucleri Hundii perfidia abſterrere potuiſſent. Cum hoc ſæpiùs de coloniæ commodis promovendis ſermonem inſtitueram: licet autem verbis vultuq; conſilia mea ſibi probari oſtenderet, illud tamen unicè agebat, ut me, notis atque obſervationibus meis ſpoliatum in inſula quadam fame necandum, atque ad extremas anguſtias redigendũ exponeret, ne conſilium meum honorando meo patrono Dn. Thomæ Schmidio, totiq; Virginiæ ſenatui innoteſceret. Hunc enim cum reliquis conjuratis ſibi propoſitum habebat ſcopum ne ad Ordines provinciæ res iſta deferretur. Verùm Deus Opt. Max. qui ſemper ab ejuſmodi practicis me indemnem præſtiterat, tum quoque à malitioſa iſtius hominis perfidia liberavit. Interim non deſtitit poſt meum diſceſſum, quocunque in loco appelleret, indigenas miſerè affligere, quorum 27. proditoriè captos in perpetuam ſervitutem divendidit, ut hac ratione odium aliquod atq; invidiam noſtræ nationi conflaret, ac ne cœpta mea ad optatum exitum deducerentur impediret.

Itaq; cùm cymba vectus iter in patriam relegerem, ac quinta Auguſti die Pleimuthum pervenirem, conſilii mei rationes ſummo meo fautori ac patrono Dn. Ferdinando Georgio, aliisq; aliquot detexi, qui de novo animum mihi addidere, ſua authoritate atque operâ nunquam ſe mihi, quoad viverem, defuturos polliciti: ut meam ipſis fidem in hoc negocio obligarem. Londinum reverſus aliorum etiam amplis promiſſionibus in cœpto confirmabar, ut Michaelem etiam Cooperum Nautam peritiſſimum, qui tum tem-

temporis cum aliis quibusdam domum redierat,hac in re consulerem. Quomodo verò is erga alios,aut alii erga ipsum se gesserint,me latet.Hoc meum institutum, ut primùm emanavit diversas in hominum mentibus excitavit cogitationes,ac varia judicia,in primis apud societatem Australem , quæ in utramq; partem totam rem probè expendebat.Cùm igitur cœptum hoc meum omnium calculis esset adprobatum , statim is Londino cum quatuor navibus solvit, priusquam Plimuthenses de annona ac commeatu necessario sibi possent prospicere; unica tantùm excepta navi,quam sua opera ac sumptibus Dn. Ferdinandus Georgius instruxerat : quæ post ultimam Naucleri Hundii proditionem nullo aut certè exiguo cum lucro,maximâ verò preciosi temporis jactura, domum rediit.

Fateor equidem plurimum me debere,quatuor harum navium,quę Cooperum vehebant,instauratoribus,quippe qui mihi omne in eas dominium offerebant,siquidem operam meam illis voluissem condicere,facileq; arbitror,hanc repulsam illos ægrè tulisse. Ego sanè illorum benevolentiam ac favorem unicè desidero,siquidem honestis conditionibus iis frui possem.

Quamvis autem existiment,me ipsorum conatibus maximè adversari, tamen ex dictis factisq; meis omnibus satis animadvertent, id ipsorum errori potius asscribendum,quippe qui nullam unquam sinistræ huic opinioni ansam præbuerim. Quia enim ad commoda ac commercia Occidentalis Indiæ promovenda fidem meam obstrinxeram,contra decorum egissem,si promissa,fidemq; datam violassem. Neque verò ullum deinceps tempus novis regionibus indagandis, aut piscatui inutiliter impendam,donec ipse comitatu satis amplo instructus coloniam eò deducturus,locúmque certum incolis distributum muniturus proficiscar.Novi enim,quo nitar fundamento. Quamvis autem nonnulli in eo seriò ac strenuè laborent, ut commodis, cœptísq; meis memet ipsum extrudant,illis tamen fortunam uberiorem minimè invidebo:imo quàm ægerrimè ferrem, siquidem sua inscitiâ ac prætenso errore rem hanc certissimam in dubium vocare possent. Illud tantùm unicè volo, voveóque, ut negocium hoc per quoscunque demum homines, sive Londinenses, sive Scotos, Italos, Anglos, dummodo fidelem operam Regi ac patriæ navare cupiant, quàm felicissimè succedat. Ego patriæ meæ quæro commodum, quod unum omnibus sufficeret, dummodo de negocio promovendo inter ipsos convenire posset. Tandem placuit Domino Ferdinando Georgio, & Domino Doctori Sutlivio , Decano Excestrensi , consilio meo probè diuq; deliberato, novam mecum in hisce locis periclitari aleam. Quorum exemplo moti complures ex remotissimis Angliæ partibus incolæ suam huic operi operam promptissimè obtulerunt.Verùm multis altercationibus plerorumq; fervor subitò deferbuit,ut totum ferè onus potissimùm hisce,ac nonnullis aliis honestis viris, civibus Londinensibus,amicis meis incumberet.

Tandem duabus navibus, quarum altera 200. altera 50. onerum erat capax , instructus ex Anglia solvi: priusquam autem 120. milliaria emetirer, mali navis omnes vitium fecere, ut singulis vigiliis sexies millenis repetitis ductibus aqua esset exhaurienda. Solum transversale velum vento opponebatur, donec alium extolleremus malum,reliquosq; instauraremus.

Itaque necessariò Pleimuthum nobis redeundum fuit. Vice-Admiralis autem meus, qui ex conspectu nos amiserat, horum ignarus , strenuè cursum suum persequebatur.


Ego

Ego verò aliam quandam parvam celocem 60. onerum, annonâ reliquâ instructam expedio, méque mari 24. Junii die committo. Qua quidem in navigatione, id mihi evenit infortunii, cujus nomine honesta mea existimatio usque adeò ab invidis laceratur.

Cùm autem videam nullas vires, morte exceptâ, maledicorum linguis, pravisq; hominum opinionibus obstruendis, retundendisq; sufficere, ne meæ ipsius relationi de extremis hisce, in quas redactus sum, miseriis, per invidorum malitiosas interpretationes, fides fortean derogetur: operæ precium me facturum existimavi, si examen seu inquisitionem totius processus, prout à Domino Ludovico Stucklejo, Equite Nobilissimo, ac Devoushiræ Viceadmirali, huic tractatui adjungerem, cujus hæc vera est historia.

I QUÆ-





QUÆSTIO

ac depositio

DANIELIS BACKERI, POSTREMI FACTORIS CAPITANEI Dn. JOHANNIS SCHMIDII, POST IPSIUS REditum Pleimuthi per Nobilissimum Equitem Ludovicum Stucklejum 8. Decembris An. 1615. instituta.

BACKERUS iste testatur, cùm totum biduum piratæ cujusdam, Frey dicti, qui tamen tempestatum injuriis impeditus navim aggredi nequiverit, persecutionem sustinuissent: Edmundum Chamberum nautam, ejúsque socium Johannem Minterum, Thomam item Digbyum Gubernatorem clavi, aliosq; verbis Capitaneum compulisse, ut deditionem faceret, quòd Piratæ insultum depellere, omnino impossibile ducerent: cumq; ipsi scapha destituerentur, suam capitaneus ad piratam ablegaret: Sicq; inter ipsos convenisse: Fide daret Freyus, nihil se eorum, quæ ad Capitaneum Smithum pertinerent, quæq; cœptam navigationem impedire possent, ablaturum. Cæterùm plures, quàm gratum fuerit Capitaneo, in navem venisse piratas hospites: alioquin ipsi ad intrantium injurias cohibendas, reliquorum impetum alacriter sustinendum, animum neutiquam defuisse.

Idem fatetur, Chamberum nautam pecuniam à pirata isto accepisse, quantam verò, se nescire. Capitaneum verò ne ex cubiculo quidem suo ad piratas istos excipiendos prodiisse, licet complures ex iis sub ipso nautica stipendia fecissent. Absq; eo enim fuisset, procul dubio prope Florum insulam ipsorum direptioni cessissemus.

Prope Fyalam denuò duo piratę Galli nos adorti sunt, qui insolenter deditionem postularint. Itaq; Chamberus, Winterus, Digbyus, alii Capitaneum, ut navem istorũ arbitrio permitteret, adigere conati sunt: prætendẽtes, aut Turcas illos esse, qui in perpetuam servitutem omnes abrepturi, aut Gallos, qui in mare pręcipites acturi essent, quam primum unico exploso tormento sese restituros indicarent: Adhęc non ad pugnandum, sed piscandum se conductos esse: donec tandem Capitaneus expresse, se injecto in pulverem tormentarium igne navem in auras dispersurum minaretur, nisi quàm primum ad defensionem sese accingerent. Atq; ita ipsorum insultum feliciter, utut etiam tormentis suis in nos detonarent, evasimus.

Porrò prope Florum insulam in quatuor triremes Gallicas, in prora puppiq; tormentis probè instructas incidimus. Cùm itaq; arma jam pararet Capitaneus; Chamberus, Minterus, Digbyus, alii potiùs deditionem faciendam existimarunt, quippe cùm viribus longè inferiores non nisi certa cum pernicie prælio cum ipsis possint decernere: quia

quia verò Capitaneus Gallicæ linguæ esset gnarus: Galli autem Protestantes omnes, iiq; Rupellani, à Rege ad Hispanos Lusitanos, piratas profligandos essent missi, consultius fore, si ipse scapha vectus ad Gallorum naves contenderet, atq; amicabili conditione cum ipsis transigeret.

Quibus cùm morem gereret Capitaneus, ipse cum sociis quibusdam à Gallis detinebatur. Postridie Galli navem nostram conscendentes, obvia quæq; pro lubitu diripiunt, socios nostros in diversas naves distribuunt, quosdam ex suis in nostram navem imponunt. Sicq; conjunctis viribus obvias quasq; naves aggrediuntur: donec tandem post 5. aut 6. dies, re meliùs perpensa, nostram nobis navem cum annona ferè omni, exceptis tamen armis bellicis, restituerent.

Præterea fatetur, Capitaneum acriter ipsos exhortatum esse, ut ad nuper repertas regiones iter suum protenderent, quò piscibus onusti domum redire possent, siquidem coloniæ deducendæ commoda promota cuperent: at restitisse Chamberum & Winterum, donec milites Capitanei sui mandato se parituros, unanimi voce declararent, quippe qui à vestitu, annona, sale, retibus, linteis sese abundè instructos cernerent: Arma tantùm atq; alia quædam instrumenta desiderabant, quæ tamen ipsis sese reddituros Galli polliciti fuerant. In hunc finem postridie Capitaneus illos adiit, dimisis reliquis, qui sclopeta, pulverem, funiculos, hamos, aliaq; instrumenta, gladium item, pugionem, lectulum, aquam vitæ, literas commissionales, vestes aliaq; id generis ad Capitaneum pertinentia, quorum tam exactè meminisse haud posset, in navem importarent. Pannos verò, ac lintea, item vestes capitanei Chamberus ejusq; socii inter se aliosq; pro lubitu distribuerunt; ut præter thoracem ac femoralia vix quicquam Capitaneo relinqueretur. Dum ita impedimenta nostra Chamberus ab una ad aliam navem vectus intercipit: ecce navis quædam sese offert, quam in multam usque noctem insequuti sunt. Postridie, ob aëris ventorumq; intemperiem tam propè Gallorum navibus successimus, ut vela nostra discerperentur, altera verò navis non parum damni persentisceret. Itaque statim Chamberus, Capitaneum ut in navem redeat, monet, ni faciat, ipso relicto se discessurum interminatus. Capitaneus cymbam sibi mitti postulat: hanc Chamberus fractam falsò asserens, eum si velit, Admiralis scaphâ venire jubet. Sícque relicto inter Gallos solo Capitaneo, jussu Camberi, Minteri atque aliorum, eâ nocte discessum esse.

Daniel Cage, Edoardus Stalnigs, nobiles viri, item Gualterus Christellus, David Cooperus, Robertus Mollerus, Johannes Parwidge in quæstionem itidem vocati, ac diligenter examinati, hanc Danielis Backeri confessionem vero per omnia consentaneam esse unanimiter affirmant.

Causa verò, cur me Galli detinerent, hæc erat: quòd sinistram ipsis de me opinionem attulerant Chamberus ac Winterus, ac si injuriam illatam cùm in ipsis, tum in aliis, quos in novo orbe offenderem, Gallis ulturum me ostendissem: quod navem injecto igne disperdere voluerim, nisi conatibus meis iissent obviam: aliaq; id genus frivola, ut jure ab ipsis desertus videri possem, excogitata. Illi itaq; Pleimuthum reversi sunt: me verò vel invitum Galli secum abduxerunt.

Octo vel novem naviũ classis ex Occidentali India expectabatur, cui insidias struebamus. Interim maximã partẽ prope Fyalã hęrebãt naves. Ego verò ut mentẽ turbatã à nimia miserię meę cõsideratione nõnihil abstraherẽ, ibid. hũc discursũ exaravi, eo animo, ut rẽ oẽm ad Regię Majestatis nauticos, aliosq; cõsiliarios referrẽ, ꝙ viderẽ, hũc Gallorũ

ſcopum eſſe, ut quaſcunque viribus ſuperarent naves, eaſdem bonis quoque omnibus deprædarentur.

Tandem nos infeſtavit Anglicus quidam pirata Capitaneus *Barra* dictus, qui celoce duodecim tormentis majoribus inſtructa, cum triginta viris maximam partem fame languidis vectus, amicabili converſatione, aliquandiu inter nos hæſerat. Hunc blandis promiſſis tam diu tenuimus, donec Capitaneum Wolliſtonum, ejusq; Legatum proderemus.

Quatuor aut quinq; primùm navi noſtræ appropinquabant; itaque de reliquis omnibus intercipiendis conſilium initum. Ego interim captivus in armamentario detinebar, ac ne verbulum quidem cum iis miſcere, niſi capitis pœnam ſubire, fuiſſet animus, audebam.

Nihilominus Barræ, quis eſſem, jam innotuerat. Barra, Gallorum inſidias ſubolfaciens, ad pugnam ſe parabat: id verò Capitaneus Wolliſtonus minimè adverterat. Res iſta in 16. ferè horas protracta hunc habuit finem, ut captivi utrinque dimitterentur, & tranſactionis confirmandæ ergo annonæ aliquantum Barræ concederetur.

Proxima, quam aggreſſi ac deprædati ſumus navem, Anglica quædam erat Celox, quæ ex novo orbe reverſa Poëlam petebat. Mihi ad cuſtodiam conclave majus aſſignabatur, ut ex eo, quomodo miſerum iſtum virum omnibus ſuis bonis exutum, etiam dimidia piſcium parte defraudarent, poſſem proſpicere.

Poſteaquam autem hunc à ſe dimiſerunt, bona ejus ad malum majorem præconis voci ſubjecta venierunt, unde vix ſeptem nummorum precium ad unumquemque rediit.

Paulò poſt in Scotum quendam incidimus, qui ad Sancti Michaëlis acceptâ vecturâ Briſtoviam petebat. Verùm is æquiore, quàm reliqui, fortunâ uſus eſt. Poſteaquam enim lintrem ſaccharo, marmelladis, ſucceto, aliisq; rebus compleſſemus, quatuor alias naves, ad pugnam inſtructas plenis velis in nos ferri animadvertimus. Verùm Gallici noſtri ſpiritus ſatis habebant, rubras Anglorum cruces in antennis conſpexiſſe.

Mox in alias Hiſpanicas naves, ex India reduces impetum fecimus, ut ad ipſa vela lateráque navium pugna ad quatuor, aut quinq; horas protracta efferveſceret: quia tamen ipſas naves attingere non audebamus, facili negocio manus noſtras effugerunt.

Poſtea Caravellam quandam Braſilienſem poſt exiguam velitationem, quòd maximam partem eſſent vulnerati, intercepimus, cum 370. Sacchari ciſtis, quibus vir quidam Indus præerat: 160. doliis, in quibus 1200. pelles omnis generis aſſervabantur: 50. vaſis Cutzenella plenis: 14. arculis, quibus argenti laminæ, ac 8000. Regalium continebantur: ut & ſex aliis, quibus Hiſpaniæ Regis theſauri condebantur. Præterea opimam prædam ac ſpolia ampla ex mercatorum iſta navi vectorum ſcriniis retulimus.

Hunc in modum duos integros menſes à Gallis detinebar, ut quoties cum Hiſpanis ipſis res eſſet, unà cum iis manum confererem: quoties verò Anglicas naves deprædarentur, me cuſtodiæ creditum attinerent. Etſi autem Capitaneus fidem datam ſæpius fefelliſſet, quippe qui pollicitus fuerat, me in inſulam quandam deportatum, aut in proximam, quam cepiſſent, navem expoſitum iri: tandem tamen ab illo im-

lo impetratum, ut unà cum Caravella iſta, quæ ſaccharum vehebat, in Galliam mitterer: cùm ipſe animum induxiſſet, diutius in maritima illa expeditione perſeverare. Biduo poſt duæ Occidentalis Indiæ naves in nos ferebantur: quibus cùm ad Galliarum Regem nos pertinere, innotuiſſet, illico altum petentes, ac majorem navis noſtræ malum tormentis verberantes diſceſſerunt.

Itaq; cum ferè 3. menſes inter Gallos milites exegiſſem, tandem magno cum labore ac moleſtia Juliobonam non procul à Rupella appulimus: ubi loco ampliſſimarum promiſſionum de dupla reſtitutione, ac ſufficienti ſatisfactione, quibus me hactenus ſuſpenſum tenuerant, me in Caravella captivum detinere ac reum peragere conati ſunt, ac ſi Gallorum colonias in Nova Francia igne devaſtaſſem.

Itaque ut damnum compenſem, aut gravius etiam ſupplicium expectem communi conſilio ſtatuitur. Huic malo ut remedium quærerem, cùm tempeſtas ſubitò coorta, quæ omnes ſub tabulata navis compulerat nonnihil deferbuiſſet, perticæ innixus in ſcapham noctu deſilii, periculum facturus, an ita in terram poſſem evadere. Verùm maris alveo abreptus in altum propellor, donec Deo viſum, ut ventus ac procellæ minas ponerent.

Nocte verò iſta tota pluebat, ac quàm plurimæ naves ſcopulis alliſæ interibant. Mihi ob ingruentes maris fluctus ſingulis momentis mors ob oculos verſabatur. Tandem ad Charoweram inſulam ejicior, ubi me aucupes quidam penè ſubmerſum ac metu, frigore, fameq; ferè emortuum oportunè exceperunt: quorum operâ porro Rupellam incolumis perveni. Intellexi etiam præſidiariam iſtam navem, quam in alto mari reliquimus, unà cum opimis ſcopulis alliſam periiſſe, Capitaneum cum dimidia ſuorum parte eadem nocte aquis hauſtum, ſeptem ab illo loco milliaribus, in quo ego in ſcapham deſiliens præter omnium hominum opinionem, meámque ipſius ſpem, ſolius Dei miſericordiâ jutus præſentiſſimum mortis periculum effugeram.

Ut Rupellam veni, judex admiralitatis ad querelas meas placidè reſpondit, ſuamq; mihi opem benignè pollicitus eſt. Ex reliquis, qui appulerant, de interitu navis, & quid de meo obitu ſtatuiſſent cognovi. Ego illos Arreſto obligatos in quæſtionem vocandos cenſui, qui auditi ſuo quoque ſuffragio querelam meam juſtam ac legitimam eſſe adprobarunt.

Quæ in hac cauſa ultro citróque geſta actáque ſunt, ea juxta conſuetudinem fori, manu judicis ſubſignata, poſtea Angliæ Regis Legato, qui tum temporis Burdegalę ſubſiſtebat, obtuli. Ac certè iſta mea calamitas cuidam felicitati anſam præbuit, ut nimirum ſplendidiſſimam intuerer aulam ob Regis nuptias, qui recens ex Hiſpaniis redierat. Ex præda magna pars aquis hauſta perierat, quippe Caravella itidem colliſa confractáque fuerat: interim tamen merces ad 36000. Coronatorum precium undis ereptę, atque interitu vindicatæ ſunt.

Iis ego arreſtum indicere nihil moratus, reſponſum à judice tuli, ex æquo bonóque mecum actum iri. Quid effecturus ſim, nec dum video, ſed dies indicabit. His actis, ex Gallia ſolvens, Pleimuthum perrexi, ut nebulones iſtos, qui me Gallis nefariè proditum, mortis faucibus expoſuerant, imo verò etiam graviſſimis calumniis, ut quendam ſceleri ſuo colorem inducerent, onerarant, inquirerem. Verùm illi jam antea veſtes, libros, inſtrumenta, arma, aliamq; meam ſuppellectilem inter ſe diſtribuerant: interim aſſerentes, ſi quid deſiderarem, id à Gallis ſibi ereptum, qui


nisi me deserto maturè fugâ sibi consuluissent, navi interceptâ, omnes in mare præcipites fuissent acturi.

Authorem actorémque præcipuum proditoriæ hujus fabulæ, ut & alios quosdam in carcerem compingendos curavi, qui quæstioni subjecti omnes innocentiæ meæ reiq́; , uti narrata est, veritati testimonium perhibuerunt. Quomodo verò huic malo prævertere potuerim, aut debuerim, aliis judicandum relinquo &c.

DECIMÆ PARTIS AMERICÆ

FINIS.





ICONES

Sive

EXACTÆ ET ARTIFICIOSÆ DELINEATIONES PRÆCIPUARUM RERUM AC HISTORIARUM, QUÆ IN DUABUS Dn. AMERICI VESPUTII in Indiam occidentalem, ut & reliquis in Virginiam & Novam Angliam expeditionibus evenerunt, huic decimæ Americæ parti insertæ.

VBI ICONIBVS SINGVLIS BREVIS QVÆDAM ET NECESSARIA explicatio seorsim subdita est.


Omnia diligenti industria in æs incisa & ob oculos posita.

à

JOHANNE-THEODORO de BRY, cive ac Bibliopola Oppenheimensi.



OPPENHEIMII
Typis HIERONYMI GALLERI.
ANNO
M DC XIX.


RPJCb

I.

Quomodo Americus Veſputius in Pariam, modò Americam dictam pervenerit, ac quale hominum genus ibidem offenderit.



CUM Americus Veſputius in Pariam, jam ex ipſius nomine Americam dictam pertigiſſet, reperit ibidem homines, qui quidem cùm viri, tum fœminæ nudi incedunt omnes, ſtatura illis mediocris, commoda corporis proportio, color ſubrufus, leonum jubis non abſimilis, nullus toto corpore alunt crines, excepto capite, cujus pili præſertim in mulieribus atri ac prolixi ſunt: in victu admodum ſunt barbari: contenti fructibus quos tellus ſuppeditat: ædes campanarum in modum aſſurgunt, ac palmarum frondibus conteguntur: ſummum benevolentiæ indicium putant, ſi cùm uxores tum filias amicorum libidini proſtituant, quod reipſa Hiſpani ſunt experti. Mortuos ſub ceſpite condunt, eorúmque capitibus cibos apponunt, exiſtimantes illos etiamnum poſt mortem neceſſaria alimonia indigere. Querelas autem aut ritus mortuorum cauſa nullos adhibent. Quibuſdam in locis inhumanius cum mortuis agitur. Ubi enim aliquem morti jam vicinum conſpiciunt, eum proximè agnati in denſam aliquam ſylvam deportantes, reti xylino duabus arboribus affixo imponunt, ac totum diem choreis circa ægrotum ducendis transigunt: cùm adveſperaſcit, aquam cibóſque ad quatuor dierum alimoniam neceſſarios ad caput ægroti collocant, ſicque illo ſolitario relicto domum redeunt. Quod ſi ægrotus vires recolligat, atque incolumis ad ſuos revertatur, magnis ſolemnitatibus à cognatis excipitur. Si verò morbo extinguatur, de ſepultura ejus minimè ſunt ſolliciti.

Quibus

II.

Quibus remediis contra morbos utantur Indiani.




MUltis variisq́; Americani utuntur remediis, quæ cùm nostris neutiquam respondeant, haud immeritò quis miretur, qua ratione iis pristinæ vires recuperari possint. Si quis enim in ardentissimam incidat febrē, eaq́; quàm vehementissimè infestetur, hunc in frigidissimū demergunt amnem, ac gelidâ abluunt: posteà duas circiter horas ad excitatum ignem hinc inde cursitantem circumagunt: tandē cubitum deducunt. Atq; hac quidem ratione complures pristinæ sanitati restituuntur. Quidā etiam triduano aut quatriduano jejunio hosce aliosq́; morbos feliciter à se depellunt. Venā non in brachio, sed lumbis nervisq́; incidendam curant. Certis quoq; remediis vomitum sistunt, aliáque id generis quàm plurima usurpant. Ob victus rationem sanguine ac humoribus phlegmaticis abundant. Vivunt enim ex radicibus fructibus, herbis omnísque generis piscibus, frumento aut tritico planè destituti. Raro aliâ, quam humana vescuntur carne, cujus ultra beluinum morem sunt avidi. Hostes enim omnes sive viros, sive fæminas, in prælio cæsos, sive ad tempus in vinculis saginatos indiscriminatim vorant: ac Christianorum erga hostes clementiam, quod esu eorum sese abstineant, summopere mirantur.

III.

Quomodo Indiani Hiſpanis per fœminas dolos ſtruxerint, atque hinc velitaris pugna coortaſit.



VLterius in iſta regione progredientes Hiſpani, vicum quendam inſtar Venetiarum mediis in aquis palis ligneis ſuperſtructum conſpicati ſunt, in eoque viginti domicilia, campanarum in modum fabricata, ex quibus ſublicii pontes deducebantur, ut commodius invicem adire poſſent. Quam primum Barbari iſti Hiſpanos adeſſe animadverterunt, ſtupore perculſi, confeſtim ſublicas ſuſtulerunt; quod Hiſpanos etiam in admirationem rapuit. Mox duodecim cymbas ex integro ligno factas in alto mari ſibi obviam ferri conſpexerunt, quas Hiſpani omnis generis blanditiis ad ſe pellicere conabantur, inque eum finem illis obviam pergebant. Verùm Barbari adventum eorum neutiquam præſtolantes, ſed ad terram delati ſumma celeritate in montem quendam enitebantur, ſignis interim brevi ſeſe redituros innuentes Reverſi ſedecim virgines ſecum adducebant, ac quatuor ex iis in Hiſpanicam cymbam exponebant. Quid nam ſub iſto prætextu monſtri alerent, non ſine cauſa Hiſpani mirabantur. Interea ſcaphis ſuis inter Hiſpanicas ſeſe immiſcebant, ac ſummè illis amicos ſeſe ſimulabant. Ad hæc Vetulæ quædam præ foribus altum clamorem tollentes, in majoris periculi indicium capillos ſibi ipſis evellebant. Hinc primum mali aliquid ſibi imminere Hiſpani ſuſpicati ſunt. Nec mora, virgines ex ſcaphis in mare proſiliunt, reliqui longius à navibus Hiſpanorum ſecedentes denſum telorum imbrem in ipſos evomunt. Animadvertebant etiam Hiſpani reliquos qui ex domibus ad naves nando pertigerant ſub aquis jacula ſua abſcondiſſe, unde proditionem ſubeſſe facile erat colligere. Itaque Hiſpani arma capiunt, quam plurimas eorum ſcaphas funditus evertunt, viginti cæſis, pluribus autem vulneratis. Reliqui in mare præcipites acti, non ſine ingenti jactura, natando in littus evaſerunt.



IV.

Quomodo Hiſpani alio quodam in loco excepti fuerint, ubi incolæ ſerpentibus veſcuntur.




HIs ita geſtis, 80. circiter milliaria provecti, in aliam quandam nationem inciderunt, cujus lingua ac mores plurimum à priori diſcrepabant. Cúmque appuliſſent, quatuor circiter hominum millia inibi offenderunt, qui non expectato Hiſpanorum adventu, omnibus relictis in denſiſſimas ſylvas ſeſe abdiderunt. Hos inſequuti Hiſpani ad bombardæ jactum complures caſas conſpexerunt, quas piſcatores ibidem varii generis feras piſcesq́ elixantes atque torrentes conſtruxerant. Inter alia ſerpens alatus craticulæ ligneæ erat impoſitus, quod in maximum ſtuporem Hiſpanos convertit. Paulò longiùs progreſſi, in reliquis tuguriis complures ejuſmodi ſerpentum vivos offenderunt, quorum pedes vinculis alligati, fauces funibus conſtrictæ erant, ne quid hominibus damni inferre poſſent. Uſque adeò immane tuebantur ut à contactu eorum prorſus abſtinerent. Cum igitur iſta die nemo ex incolis in conſpectum prodiret, Hiſpani ſub noctem ad naves reverſi ſunt. Poſtridie, quàm primum aurora illuceſceret, magna Barbarorum multitudo in littore cogebatur, ad quos exſcenſione in terram factâ ſeſe Hiſpani contulerunt. Barbari primo intuitu trepidare, paulatim tamen ſeſe Hiſpanorum turbæ immiſcere, ac familiariter ſecuréque cum illis verſari cœperunt, ſignis quibuſdam innuentes, non iſtas ſibi eſſe fixas ſedes, ſed piſcandi gratiâ eò ſe veniſſe; ſimulq́, modò ad patrias manſiones ſecum irent, omnia humanitatis officia ipſis offerentes. Cum itaque urgerent importuniùs, tres & viginti probè armati unà cum illis ibant, parati, ſiquidem neceſſitas ita exigeret, vitam fortunasq́ profundere. Triduo pòſt pagum quendam ex novem domibus conditum ingreſſi, mirabili ritu, ſaltibus, tripudiis, riſibus partim, partim lachrymis, atq́ omnis generis ferculis excipiebantur. Pernoctantibus ibidem ſatis liberaliter tantaq́ importunitate uxores ſuas obtulere, ut vix denegare hoc officii genus ipſis poſſent Hiſpani.

V.

Indiani ad Insulam Itii Hispanos aditu prohibere conantur, unde atrox coortum prælium.



Cùm Vesputius, reliquique Hispani ad Itii *insulam appellere, ac scapham versus littus protrudere conarentur; 400. Barbari probè armati tam viri quàm fœminæ, accessu illos omni ope prohibere voluerunt. Nudi quidem erant, sed corporis robore pollentes, arcubus, sagittis, telis, ac quadrangularibus scutis instructi. Hi summo impetu in Hispanos cùm ad teli jactum littori jam appropinquassent, debacchabantur. Corpus variis coloribus pictum, atq; omnis generis plumis exornatum erat, quo Barbarorum indicio in bellum contra hostem se profecturos denotabant. Cùm itaque Hispanis descensum in terram pertinaciter denegarent, illi tormenta majora saxis onerata disploserunt; quo horrendo imbre ac tonitru exterriti, cùm magnam suorum stragem cernerēt, reliqui in terram enitentes fugâ salutem quæsiverunt. Expositi in terram 42. probè armati Hispani, ingentem horum Barbarorum turbam offenderunt; qui alacriter Hispanis obnitentes, duas circiter horas illorum impetum fortiter sustinuerunt: cùm autem complures ex suis globis trajectos, gladiis transfossos intuerentur, atque Hispani, summa animi contentione ipsis incumberent, solum vertere atque in densissimas sylvas sese abdere coacti sunt: Hispani quoque, quod non pauci ex iis vulnerati essent, cum tripudio ad navem rediere. Postridie meliùs jam instructa acie cornua sua inflantes redeunt Barbari, cladem pridie ab Hispanis acceptam, acriter ulturi. Itaque ex Hispanis 57. in terram egressi, summa alacritate prælium redintegrant; quod licet aliquandiu dubio marte protraheretur, victoria tamen penes Hispanos fuit, qui ex Barbaris compluribus cæsis, viginti quinque captis, ad naves sese receperunt.*



VI.

Quomodo in Gigantum inſula cum Hiſpanis ſuis exceptus fuerit Veſputius.



IN ſecunda Veſputii navigatione Hiſpani ad inſulam quandam devenerunt: hanc, quod neminem haberēt obvium, initio incultam ac deſertam arbitrati ſunt; exſcenſione autem in terram facta, ingentia quædam veſtigia arenis impreſſa animadverterunt, quæ opinionem ipſis attulerunt, immanes Gigantes hanc inſulam incolere: quod eventus poſtea comprobavit. Cùm enim quidam ex Hiſpanis ductum tramitis cujuſdam ſecuti, aquam recentem veſtigatum irent, vix milliare emenſi, in quinque domos inciderunt, in quibus duas prægrandis ſtaturæ fœminas, cum tribus puellis non ſine admiratione conſpexerunt. Quæ peregrinos conſpicatæ, uſque adeò obſtupuerunt, ut quaſi attonitæ, fugæ planè immemores, loco ne moverentur quidem. Tandem vetulæ Hiſpanos comiter ſalutarunt, iisq; in unam domum congregatis cibum pro re nata apponebant. Hiſpanis non deerat animus, tres illas puellas ſecum abductas, tanquam monſtrum aliquod in Hiſpaniam deportare: ſed intervenere 36. viri, planè nudi bonam partem mulieres ſtatura ſuperantes. Tum verò aqua Hiſpanis hæſit, qui nunquam pedem navi ſe extuliſſe maluiſſent. Gigantes iſti tacitum quid inter ſe murmurabant; itidem & Hiſpani ſententiis inter ſe variabant: utrinque tamen à vi inferenda metu prohibebantur. Tandem Hiſpani viam navem verſus relegunt; Gigantes è longinquo illos magno cum fremitu ſubſequuntur: cúmque Hiſpani naves jam conſcendiſſent, magno impetu in mare ruentes Barbari ſagittas ſuas in naves contorſerunt, unde tamen nihil ad Hiſpanos damni rediit, qui duo tormenta in ipſos evibrantes, facilè, ut in proximum montem fugam capeſſerent, illos adegerunt. Unde poſtea loco Gigantum inſulæ *nomen inditum eſt.*


 Pocahun-

VII.

Pocahuntas Virginiæ Regis filia expatiatum profecta, astu intercipitur, cap. 1. 2. 3.



Pocahuntas regis Powhatani filia, patri apprimè dilecta, ad quendam ex amicis Potaomeckam usque expatiata fuerat. Eodem venit Anglus quidam Capitaneus, Argol dictus. Quem cùm sub ignoto habitu virgo invisere cuperet, is re cum amico suo Japazeo communicata, illam astu in navem suam pellexit. Quamprimum navem conscenderat splendido convivio excepta, lætis confabulationibus exhilaratur, posteáque in cubiculum somnum ibidem captura deducitur. Mane Pocahuntas in navi manere jussa, verborum blanditiis placatur; Japazeus verò donis ornatus cum uxore dimittitur. Postea, cùm Powhatani nuncius de captivitate filiæ allatus esset, ipse verò responsum ultra tempus distulisset, Angli unà cum Regis filia, armata manu fluvium ascendentes in Regis ditionem progressi sunt, ut captivos suos vel permutatione facta, vel vi atque armis in libertatem assererent: Toto hoc itinere sæpius à Barbaris petiti variisq; injuriis affecti sunt Angli, præsertim cùm angustias fluminis cujusdam ingressi essent, densum telorum imbrem in illos evomuerunt. Cùm igitur unus ex Angles in anteriore capitis parte lethaliter esset sauciatus, reliqui, exscensione in terram facta, quadraginta exustis domibus, obvia quæque miserè deprædati sunt, sex insuper Indianis graviter vulneratis aut trucidatis.



VIII.

Dum Indiani ab Anglis inducias impetrant, duo Regis Powhatanis filii ſororem ſuam inviſunt. cap. 3.



P Oſteaquam Angli ad præcipuam Regis Powhatanis ſedem, vicum quendam Matzkot dictum perveniſſent; quadringenti barbari probè armati aditu illos vultu verbiſque minacibus prohibere ſategerunt: Nihilominus Angli, licet iniquiore eſſent loco, in terram enituntur. Barbari rerum ſuarum ſecuri ne latum quidem unguem ipſis cedunt, ſed ſurſum deorſum, hac illácque inter Anglos obambulantes, præcipuos ex illis de Anglorum rege, quo animo in iſtas regiones deveniſſent, num ferro decernendum putarent, percontabantur, interim inducias expoſcentes donec ad regem res deferretur. Quæ quidem certis conditionibus ipſis conceſſæ ſunt. Siquidem enim minùs ex ipſorum voto Rex reſponſurus eſſet, tubâ claſſicum datum iri, ut ſignis collatis hoſtiliter inter ſe congrederentur. Interea Pokahuntas in terram delata, à duobus fratribus inviſebatur, qui optimè illam inter Anglos haberi conſpicati, omnem operam apud patrem ſe daturos polliciti ſunt, ut demum certa firmáque pax utrinque ſanciretur. Atque ita Angli ab armis diſceſſerunt.


RPJCB

IX.

Cichchomines tanquam ſubditi Regis Angliæ, Capitaneo Argoli juramentum fidelitatis præſtant c.4.



CIchohomines, (qui olim regis Powhatanis ſubditi fuerãt, jam diu autem illius imperium excuſſerant) poſteaquam pacem inter regem ac Anglos coaluiſſe intellexerunt: ſtatim legatos cum donis ad Anglos ablegarunt. qui ſe Jacobi Regis ſubditos fore ſtipularentur. Itaque homagio præſtando dies dicitur, totúmque id negocium capitaneo Argoli cum 50. armatis committitur. Is ſumma cum reverentia, variiſque donis liberaliter ab iis exceptus, ac ſtoreæ inſidens procerum corona circumſeptus pacis articulos promulgavit; quos cùm unanimi conſenſu adprobaſſent, juramentum fidelitatis ab omnibus & ſingulis eſt præſtitum. Finito colloquio Capitaneus primores plebis, aliquot cupri laminis aliiſque merculis donavit, quas illi grata mente accipientes, Capitaneo viciſſim ferinas carnes, gallinas indicas, recentes piſces ſtoreas, aliáque id genus dona obtulerunt.



X.

Dn. Thomas Dalenus per ſecretarium Raphe Hamor adhuc aliam Powhatanis ambit filiam. c. 14. 15. 16.



VT Powhatan eò magis ad pacem ſanctè colendam obligaretur, Dn. Thomas Dalenus Secretarium Raphe Hamor, unà cum puero interprete, duobúsque Indis conductoribus, ad regem amandavit qui minimam natu filiam in uxorem ſibi expoſceret. Ubi ad regem ventum, is ſtatim manum jugulo legati admovens, ac ſi fauces ipſi intercluſurus eſſet, quàm arctiſſimè collum ejus apprehendit; ſiquidem is ex pacto catenulam ex margaritis contextam geſtare debuerat. Cum verò abundè ſeſe regi purgaſſet Legatus, rex eum in ædes ſuas ad lapidis jactum à flumine diſſitas deduxit. Hîc vilibus ſtoreis inſidens Rex, uxorum agmine utrinque claudebatur, quarum unam, & quidem natu minimam reliquæ reginam ſuam ſalutabant. Præ foribus centum ſagittarii excubabant. Poſtquam igitur Legatus dona, duas nimirum cupri laminas, quinque coralliorum ſeries, quinque ligneos pectines, decem piſcatorios hamos, ac cultrorum par unum obtuliſſet; ac capita legationis ſuæ propoſuiſſet; repulſam tulit, quod filiam iſtam jam pridem alii ex primoribus ſuis nupſiſſe prætenderet. Tandem legatum aliquoties conviviis exceptum, ac cervinis quibuſdam pellibus affabrè elaboratis donatum ad ſuos bona cum gratia dimiſit.

Equeſtris

XI.

Equeſtris ordinis viri, quibus exercitiis ſeſe in Virginia oblectari poſſint.



EQueſtris ordinis viri variis exercitiis ludicris animum poſſunt recreare. Indies enim datur occaſio loca incognita, ſilváſque remotas venatus, piſcatus atque aucupii gratia adeundi; ubi diverſi generis feræ variique fructus non ſine voluptate ſeſe offerunt. Videas in amœnis portubus, ſex ſeptem aut octo accipitres ex alto præcipites ferri, ac duas circiter horas piſcium capitibus advolutos, ſuum inde pabulum quærere. Alibi videbis illos reliquas aves perſequi, adunco roſtro contundere, atque in terram proſternere: quæ res lepidum intuentibus præbet ſpectaculum. Ipſi verò accipitres, utut feri ſint, facili negotio cicurari poſſunt.

XII.

Capitaneus Johannes Schmidius in ſecunda Virginiam verſus navigatione, à Gallis captus, mirabiliter liberatur.





Capitaneus Johannes Schmidt, Eques Anglus, cùm denuo in Virginiam iter aggreſſus eſſet, à Gallis intercipitur, qui tamen illi ſiquidem in aliis navibus expugnandis fideliter operam ſuam conjungeret, ipſi libertatis ſpem faciunt. Verùm cum Rupellam rediiſſent, illum in Caravella detentum reum peragere conati ſunt, ac ſi Gallorum colonias in nova Francia igne devaſtaſſet: Itaque ut damnum compenſaret, aut gravius etiam ſupplicium expectaret, communi ſententia ſtatuitur. Huic malo ut remedium quæreret Schmidius, cum ſubito coorta tempeſtas quæ omnes ſub tabulata navis compulerat, nonnihil deferbuiſſet, perticæ innixus in ſcapham deſiliit, periculum facturus, an ita in terram poſſet evadere. Sed maris alveo abreptus in altum propellitur, ac totam iſtam noctem inter horrendas pluvias ac tempeſtates quibus quàm plurimæ naves ſcopulis illiſæ interierunt, in alto verſatus, tandem ad Charoweram inſulam ejicitur. ubi aucupes eum penè ſubmerſum ac metu, frigore, ac fame ferè emortuum, oportunè excipientes. priſtinis viribus ac libertati reſtituerunt.


F I N I S

Decimæ Partis Americæ.


RPJCB










GAUDEO